SENILE ODIUM.

Comœdia
CANTABRIGIÆ
publicè Academicis recitata
in Collegio REGINALI
ab ejusdem Collegii
juventute.

Autore P. HAUSTED.

Lusimus innocui.



CANTABRIGIÆ:
Ex Academiæ celeberrimæ
typographeo. 1633.

Y

H
C
G
E
N
A
Jo
O
Ip
K
D
(
N
N
N
V
A
C
N
V
In
G
V
A
A
T
F
C
S
O



¶ Ingeniosissimo viro, *P. Hausted*, in festivissimam ejus Comœdiam.

Heus! acue dentes, Invidia; mensæ (en!) tibi
Adsunt secundæ; grata perpol advenis:
Concoquere malè te prandium ferunt tuum;
Generosus hospes hanc tibi cœnam dedit,
Et molliores, avida quas vores, dapes;
Nisi usquè carnes putidas rodere juvet,
Atrámque saniem, & viperarum viscera.
Jam prodit illa, quam cupis, Comœdia,
Odium Senile, *candidi theatri amor,*
Ipsáque theatrum amoris, & scena Venerum.
Ridere quæ vel cogat Heraclitos graves,
Democritósque prodigos splenis nimis,
(Jocosa fata, blanda mors!) risu enecet.
Non hîc cothurni sanguine insonti rubent,
Nec flagra Megæræ ferrea horrendum intonant,
Noverca nulla sævior Erebo furit,
Venena nulla, præter illa dulcia
Amoris; atque his vim abstulêre noxiam
Casti lepores, innocua festivitas,
Nativa suavitas, proba elegantia,
Venerísque nectar aureum lubentiæ,
Intúsque regnans multiplex ars, quæ vafrè
Gratis legentem conscium fallit dolis,
Variísque ludos tecta Mæandris facit.
Alii sonoris fulminent Tragœdiis;
Autor Thaliam Comicam exornat meus,
Teneróque socco placidus Orchestram quatit;
Flammas amantûm, & vulnera juvenum levat;
Canos morosos mulcet, & stabili fide
Solidísque vinclis invidos ligat senes;
Odium in amorem vertit, ac litem eximit.

Hem! macte Scenæ nobile (Haustedi) *decus;*
Nec propria damnes pignora, & charos tui
Partus tenebris ingenî indignis premas;
Homicida neu sis gloriæ tuæ impius:
Digni perire forsan lectores mali;
At non meretur Musa pretiosa emori.
Pueris fruatur livor iratis ferox:
Tu incocta ride cerebra, fluctuantia
Capita, coactas frontium natantium
Rugas, retractos turbidum in caput oculos,
Malos polypodes narium; nec terreat
Vanus cachinnus, aut ciconia impotens;
Tutúsque temne queis perosa Odium *tua.*
Namque opera quid si vapulaverit prior,
Sua nec habuerit blanda plausus verbera?
At hæc Latina est salva, & incolumis erit;
Gentis togatæ linguam, & arduum alitem
Haud Alpha-beta penulatorum capit:
Hæc capite crispo turba non ultrà sapit
Anagramma dominæ vel catellæ nominis;
Nam picta vestis non habet cordis nimis,
Nec tincta rore Palladis, sed muricis.
Hæc nostra vota, cùm velim Scenam ingredi;
Te volo Poëtam, Drama sit Comœdia:
Si desit aptus, comptus, augustus locus,
Nos pauci amici, nos Theatrum *erimus tibi;*
Aulæa sunto benevoli spectantium
Vultus, nigræ ut sordes calumniæ tegant;
Alacres & oculi sint & ardentes faces,
Tuúmq; nomen suppleat Prologi vices;
Fores Theatri *muniat justus favor,*
Distinguat actus risus, atque encomium,
Prudénsq; manuum plausus Epilogus *siet.*

Edvardus King, *Coll. Christi.*

¶ In delicium hoc theatri, & primogenitum Autoris, *SENILE ODIVM.*

——CIrculum ingredere tuum
Poesis incantans: sit augustáque satis
Tua orbita, nè non liberè spires; pede
Agili rota teipsam;——virgulæ
Potentis experire sortem, nec pete
Phantasma laudis. Tu theatri regimina
Monarcha Dramatis obtines, Haustedi; erit——
que læsa majestas, meritis fallax tuis
Offerre numisma. En! Pupillares tui
Fugêre dies, Comœdia: fori publici
In auspicatioribus cunis semel
(Formosa) lusisti, coronæ agitatáque
Plaudentis usquè manibus: agnosce indolem;
Adulta jam es, famæ que tumidas jus habes
Ad opes: solida primigeniæ
Hæc prærogativa magis est
Metuas quàm ut abdicationem. Quæ tuum
Erexit ingenium uva? Fatêre: detego
Vitem in Camœna ubique.——Regit
At quæ maligna stella scenam? pulpita
Idémque premit fatum.——sonus prævalet,
Et pulmo largus. Trutinam plebis amove,
Et tolle lances: Bellua (Jonsoni) hæc tui
Magneticam socci vim, & arduam ecstasin
Contemnere audet: merita nec satis æstimat
Inops tribus tua, verticis gaudet nives
Spectare, canitiémque parentis:——
——Laureati (quàm dolet!)
Properavit horum contumaciâ Senis
Paralysis; en! Infamiæ (Potens) cadis
Reus invidendæ; chartularúmque veterum
Concoctiones furta putantur. Pindarum
Flaccíque lyram tui calore pio studes
Quòd æmulari, Empiricus, œstróque madido
Vates, furoris haud piandi, criminum
Tibi maculámque inussit, & nuperrimè
Poemata proscripsit. Quid annos invides
(Inflate) schedulis? nimiùm angustum putas
Orbem, tuæ cùm Musca, tenues, Cœliæ
Expanderet alas? quanta calamos undique
Infestat (en!) dysenteria, atque futiles
Pennæ premuntur usquè catarrhis! Tamesis

Ripa insolentior incolis
Cygnis triumphet : at animos
Stipendium arguit viles ; Mechanica
Ære ingenia merent, odores debiles
Nardúmque frigidæ Poetices
(Pietas, modò litarent, foret)
Phœnicis aræ (proh pudor !) vendunt ; vocant
E turre summâ expansa carbasa hospites.
Spectaculum Actorum grege
Conviva præbet gratius.
Horarium fovet manibus argenteum
Ille ; annuli scintillet unde gemmula,
Scissura chirothecæ hunc beat; hic —— at non vacat ;
Pensum vetus instat : stabit exemplar, Typus,
Hoc Drama segni seculo ; ignem, spiritús——
que posterorum moribus addet : indoles,
Molem ut struat similem, at ubi mentis æmula
Sudabit excelsæ, cadet fiducia
Nimis (heu!) temerariâ:

Ed. Kemp, Reginal.

Ad Autorem.

SI cadus expletus meritò Jonsonius audit,
(Nunc licèt exhaustum declamet nescia turba)
Tûte Caballini sis jure Tricongio fontis.
Sæpius illius vidi miracula Scenæ:
Nulla minora tuæ; cujus virtute Camœnæ
Est in amore ODIUM, atque SENILE senescere temnit.
Sed quid nitimur infimi Poetæ
Chartas hasce tuas venustiores
Ad cœlum tenui vocare versu?
Nil Comœdia concipit valoris
Ex turba tumida anteambulonum,
Laudésque altiùs ipsa buccinabit,
Quàm vel noster amor, malignitásve
Allatrare valebit æmulorum.
I nunc livor edax proin, tuúmque
Cor rode, & digitos, & omne quicquid
Infelix rabies vorare suadet:
Ast has lautitias caveto libes,
Nunquam (crede mihi) vorare possis,
Sit conviva licèt χρόνος comessans.

J. Rogers, Reginal.

Dramatis

¶ Dramatis Perſonæ.

Ex domo *Theophili*,

Theophilus, *Senex, & Senator Francofurtenſis, pater Eugenii, Feliciæ, & Mariæ ſurreptæ, inimicus Leonhardo.*

Felicia, *Theophili filia.*

Eugenius, *Theophili filius.*

Aurelius, *Eugenii ſodalis & amator Menandræ.*

Croto, Bardax, } *Servi duo Theophili.*

Caſsio, *Servus* Eugenii.

Ex Monaſterio Sanctæ *Catharinæ*,
Moniales duæ.

Ex domo *Ludovici*,

Ludovicus, *Senex, pſeudomathematicus, patruus Menandræ creditus.*

Menandra, *Neptis credita Ludovici.*

Tittus, *Puer Ludovici.*

Ex domo *Tricongionis*,

Tricongio, *Bibliopola, Compotator lepidus.*

Cotyttia, *Tricongionis uxor*

Euphues, *Anglus, verbivendulus, & cæremoniarum Magiſter.*

Gorgonius, *Euphuis diſcipulus, & amator Menandræ ruſticus.*

Luma, *Virgo.*

A Foro,

Leonhardus, *Senex, & Senator Francofurtenſis, pater Endomuchi & Philauti, & inimicus Theophilo.*

Endomuchus, *Filius natu major Leonhardi, & amator Feliciæ.*

Philautus, *Filius minor Leonhardi.*

Dippus, *Leonhardi famulus*

Ruſanus, *Philauti ſervus.*

Furcus, *Sutor veſtiarius.*

Lictores duo.

Conquiſitores tres.

Lupa, *Lena.*

Tabellarius.


Senatores tres.

Palinurus, *Servus olim Philarchi Mercatoris Antwerpienſis.*

Fidicines.

Scena FRANCOFURTI ad Mænum.

A veſpera ad veſperam peraguntur omnia.



¶ Prologus.

Hujus ubi Theatri ſerenam contemplor faciem,
Lætum præſagio ſtatim Fabulę noſtræ exitum:
Sed & fiduciam hanc auget nobis, & addit animos,
Inexpectata patientia veſtra & benignitas:
Cujus tam inſigne ſpecimen dediſtis nudiuſtertius.
Quod vobis itaque imprimis, Francofurti nobiles & ſummates viri,
Unà cum ſelectiſſima pube, nobis ipſis denique cedat proſperé:
Nec longam nec illepidam in Scenam adducimus Fabulam;
Quicquid Invidia muſſet, aut obmurmuret Calumnia,
Ubicunque tandem ſedent; quarum odioſum virus
Tam nos contemnere audemus, quàm illæ evomere.
Vos ſolùm demereri & delectare cupimus, Spectatores optimi,
In quorum animis candor habitat & judicium.
Nec argumentum, nec quid ſibi quærat Fabulę nomen, doceo;
Utrumque hoc Scena indigitabit prima. Tantum eſt;
Sedete (utì occepiſtis) benevoli; & ſpes eſt, ſurrecturos hilares.

ACTUS



ACTUS PRIMI
SCENA I.

Theophilus, Felicia, Moniales duæ, Croto servus.

Theophilus.



Uin detergeas oculos,inepta Felicia,
Atque patri morem geras,utì piam decet filiam.
Hui! quàm intempestivè hic nimbus cadit!
Nimis citò (mihi crede) peribunt isti genarum flores,
Illis tu licèt ruinam haud accersas adeó.
Ecce autem suspiriorum tempestatem! mitte hos ejulatus,mea tu:
Hercle verò non placent, non placent, inquam.
Siccine patris imperium,pervicax?
Fel. Et istos & vitam perlubenter simul,
(Vel jube) mi pater. O Endomuche mi.
Theo. Egóne cum catulo illius canis Leonhardi meam ut patiar?
Rogo te priùs nuptum dabo. *Fel.* Pater es.
Theo. Et tu mea filia,si obtemperes mihi.
Fel. At diu non ero, si abs te,Endomuche,abalienar semel.
1 *Mon.* At in loco mariti nos habebis sorores tibi.

2 *Mon.* Et pro patre nos matres invenies. *Theo.* Bene res habet.
Videte, obsecro, quid vestrum valeat consilium.
Stulta nimiùm virgo, nescis tu quantum jucunditatis
Isthac insit in vita. *Fel.* At, pace tuâ, mi pater,
Cur tu non Monachus fuisti cùm eras juvenis,
Siquidem tam beatam istam prædicas vitam?
Cur matrem meam duxisti uxorem?
Et non cucullum potiús, & sphærulas precatorias?
Theo. Mehercule quid respondeam nescio, ità astutè
Argumentatur subdola.--Ego, mea filia? (quid dicam?)
Si quid in vita bene fecero, hoc te oportet imitarier:
Sin quid perperam, non æquum est exemplum indè tibi expetere.
Multò (ingenuè fateor, mea Felicia) fecissem meliús,
Isthoc si vitæ genus elegissem mihi.
Fel. Fateor & idem ego, mi pater: nam si ità esset,
Nec tu crudelis pater fuisses, nec ego infelix filia.
Theo. Habe bonum animum modó; faciam ego me meritò
Mitissimum appellâris patrem. Croto, quin Croto, inquam:
Cura actutum riscum efferri istum repositorium,
Quem meæ dedi filiæ; cistellam etiam,
Quæ ad dextram est in fenestra cubiculi.
Intus. *Crot.* Nescio ubi clavis siet.
Exit. *Theo.* Quid ais? redibo statim.
1 *Mon.* Apage à te istas lacrymas; cedo manum, Felicia mea:
Jam enim meam vocabo: enimvero quòd gaudeas
Magìs evenit hodie, quàm quòd plores.
Fel. At, obsecro vos, quemnam in locum nunc eundum est mihi?
2 *Mon.* In monasterium sanctæ Catharinæ. *Fel.* Audivi quidem.
2 *Mon.* Ubi beatè vivas, & inter sanctas virgines

San-

Sanctámque & perpetuam virginitatem colas.
1 *Mon.* Ubi nec duri metuas mariti imperia,
Nec tetrici parentis minas: sed tibi ipsi vivas licebit,
A tumultu seculi hujus & mundi blanditiis liberæ.
Fel. Audio: at ego scio quantum mihi cordolium sit,
Abs tuo charo, mi Endomuche, divelli latere.
Theo. Sequere me. Etiam lamentare adhuc? difficilis. *Reditus in scenam Theoph. cum servo.*
Auscultes mihi, si sapis; nisi vis ostendam quid sit
De leni patre facere sævissimum tibi.
Erit (mihi crede) quando promiserim fore.
1 *Mon.* Non opus erit, Theophile; futuram dicto obedientem scio.
Theo. Hercle verò nisi siet, patri valedicere me potesse viderit.
Vestræ itaque pietati (charissimæ sorores) atque curæ
Meam nunc commendo filiam, cum hac cistula
Quæ centum & quinquaginta minas intus loquitur.
Vestimenta ejus, atque cætera quibus erit usus,
Ante vesperam apud vos erunt (faxim) omnia.
Est mihi unicus alter filius (diis gratias) Eugenius,
Qui unà cum sorore hac sua liberorum mihi claudit numerum:
Quindecim enim nunc sunt anni cùm soror illius gemina
Germana mihi surrepta fuit quadrimula:
Proin filio omnes ego decrevi possessiones meas,
Domos, agros, hortos, & quicquid istiusmodi
Divitiarum mihi moriens reliquit pater:
Reliquum omne vestro destinavi cœnobio:
Nolo enim Theophili filiam in ordinem ad vos recipere pœnituerit;
Tu modò ad monasterium hoc ut deportetur.
Mea filia, vale. *Fel.* Mi pater, valeas.
O Endomuche, jamdudum te postremùm vidi.

Theo. Deus te (precor) felicitet, atque bene vortat quod agas.
Vos etiam valete plurimúm; & Antistitam
Vestram Margaretam meis salutate verbis.
Ambæ. Vale, Theophile. **Exeunt.**

SCENA II.

Theophilus, Croto.

Theo. LEpidè pol usquè adhuc hoc succesſit sub manus negotium,
Atque ex sententia: jam animus in tuto est loco;
Terram video, postquam in monasterium tam prosperè
Meam dedi filiam: enimvero domi dum manebat meæ,
Metuebam continuò nè Endomuchus mihi verba daret,
Cujus patrem Leonhardum æquè amavi semper atque viperam:
Neque dubito quin amorem istum apud illum
Fœneratum locaverim pulchré. At esto:
Centum ego filias si dedisset natura,
Vel perire mavellem, quàm inimici mei familiam
Nobilitare, aut auctiorem reddere.
Sed eccum servum! Euge Croto; tam citó? *Crot.* Quippini, here?
Quamprimum cistulam acceperant, me excludunt foras.
At si forma placuisset mea,— *Theo.* Quid tum, carnifex?
Crot. Intromisissent ultro. *Theo.* Ehodum ad me:
Nostin' tu istam faciem? *Crot.* Philautus est,
Leonhardi filius. *Theo.* Canis: eamus intró.
Exeunt.

SCENA

SCENA III.

Philautus, Rusanus, Dippus.

Phil. AIn' tu, Rusane, fratrem meum Endomuchum superos reliquisse?

Rus. Apud inferos est certissimé, aut fama mentitur strenué.

Probè etiam tu nôsti, illum jam per totos hos decem abfuisse dies.

Phil. Quid opus't igitur ut eum ultrà quæritemus? & non in

Oenopolium nos immergamus statim? ad quid possessiones, ad

Quid divitiæ, illis nisi perfruamur liberé? Hæres Leonhardi

Ut illiberalis sit atque tenax? eamus in œnopolium, eamus.

Rus. At quid si in via sutor vestiarius, aut creditorum alius quispiam

Tibi fieret obviám? *Phil.* Vah! ut hæredi Leonhardi

Nomina quis ausit exigere? eamus in œnopolium, eamus.

Atque eccum Dippum nostrum! Quò te pedes, Dippe?

Dip. Non longè hinc, Philaute. *Phil.* Nil tu etiam de Endomucho audîsti, Dippe?

Dip. Nihil, si placet. *Phil.* Isthoc quidem mihi perplacet.

Vin' ergò tu nobiscum in œnopolium? *Dip.* Imò aliò mihi iter est.

Phil. Tun' sequi renuis hæredem Leonhardi? *Dip.* Dic ergò

Ubi conveniam: &, si per negotia liceat, sequar.

Phil. Ubi? Ubi, nisi apud signum Diaboli? quò plerique omnes generosi

Exeunt Phil. & Rusan.

Et hæredes divorti solent. *Dip.* Lepidus es.
Proh superi! Quid hoc morbi est, ut quis fratrem
Triumphet periisse suum? Sed ego quò intenderam: atque adeò,
Nisi ego oculos in via perdidi,
Hospitatur hìc magister Euphues: pultabo fores.
Sed prodit nescio quis qui mihi isthanc surripuit operam.

SCENA IIII.

Dippus, Tricongio, Cotyttia.

Tric. QVicunque Acherontis hospitalitatem gustare cupit,
Cum uxore vivat. *Dip.* Au! hic Tricongio est
Bibliopola, quîcum ego postremâ luce bibi.
Aucupari volo quæ dixerit ex insidiis.
Tric. Proculdubio in cœlum mihi recta est via;
Nunquam Purgatorium invivero, si ex urna patris
Matellam, vel ex matris fecissem capite:
Ità æternis uxoris faucibus miserè crucior,
Haud restat mehercle mihi opera locum, quem saturi, visendi.
Si foris; tum poto, ludo, scortor, rem meam perdo, clamat:
Si domi, nihilominus sexcentas rixandi causas invenire potest.
Atque eccam! Qui me nunc jam in nervum tradet, patronus erit.
Cotyt. Quò te (malùm!) nunc subducis, hominum pessime,
Nequissime? nimis beatæ istæ mulieres,
Quæ cum hujusmodi vivunt viris:
Tu inter potandum & scortandum noctes atque dies agis,

Neque

Neque quid de me fiat, ulla est tibi curatio:
Tempus erat, ubi docti & reverendi viri
Nostris usi sunt ædibus, sicut Nicolaus Pulcher, Conradus Stricartius;
Imò Jovianus Pontanus aliquando nobiscum cœnavit uná:
Sed bonos hos tua ebrietas atque mores pessimi
In fugam dedêre: & nunc non sunt relicti nisi nequam pauci,
Tui similes; Euphues Anglus, & Jacobus de Honte Ponte.

Tric. Obsecro te, mea domina, domina mea, meum corculum Cotyttia.

Cotyt. Nequicquam obsecras; abstine manus, mastigia.
Per sanctam Catharinam mores hos tuos
Diutius non feram, non feram Trifurcifer.
Eia, nunc auriculas demittis, asine:
Responde mihi; quid hîc otiosè statur, impudens?
Huccine tandem reciderunt omnia bona verba tua?
Vide sis elegantes literas quas mihi misisti virgini,
Cùm aliusmodi (præfiscinè dixerim) me amabant perdité,
Et ambibant; neque spe dotis tamen:
Non enim me omnium despicatissimam invenisti, verbero.
Sed par pari referam tibi (si vivo)
Ubi domi te deprehendero. *Exit.*

SCENA V.

Tricongio, Dippus.

Tric. CErtum est laqueo cœlum scandere.
Quodnam hoc silentium? media non æquè stupet nox.

Alcedonia præsentia: satin' abiit illa?
O quàm lepida vanitas esset mulier, si non haberet linguam!
Simia, Spinturnicium, Cercopithecus,
Mehercle non eodem nominandi die. Sed quid ego nunc faciam?

Dip. Quid ego cesso hominem adire?
Tric. In aliquo me continuò occultabo cellario.
Dip. Tricongio, salve. *Tric.* Quis me nominat?
Dip. Amicus. *Tric.* Certè ignotus. *Dip.* Non me nôsti?
Tric. Quî, obsecro, possim, qui jam te primùm video?
Dip. Potavi tecum herì apud Leonhardum, ubi
Tria ad salutem filii ejus propinâsti pocula.
Tric. Nempe Endomuchum intelligis Feliciæ amatorem,
Cujus nunc absentia tam variè afflictat patrem?
Dip. Ipsum. Jam novisti, Tricongio? *Tric.* Euge, nequam es:
Haud ædepol meipsum novi isto (quod memoras) tempore:
Sed unde tu nostræ plateæ homo factus? *Dip.* Audies.
Apud te diversari aiunt magistrum Euphuem:
Eum venio quæsitum. *Tric.* Audivisti quod res est.
Sed quid, quæso, cum eo tibi negotî?
Dip. Nihil porto magni: tantum tribus vel quatuor verbis istum cupio.
Tric. Non me scire licet? *Dip.* Jmò licet;
Sed, obsecro, ostende, ubi hominem conveniam.
Tric. Quàm cautus tuarum rerum tu custos es!
Quasi clam me possit esse quid velint, eum si qui quæritant.
Apud me edit, apud me potat, apud me hospitium habet.
Vin' faciam me *divinum* appellâris? *Dip.* Volo.

Tric.

Tric. Amas, Dippe. Quantum erravi? *Dip.* Perge veró.
Tric. Atque mollia verba vis, lepores, atque Veneres,
Quibus amores tuos tranquillos reddas. Nónne ipsam rem?
Dip. Mehercle ipsissimam. *Tric.* Dic igitur quod pollicitus.
Dip. Mi Tricongio, divinas. *Tric.* At amicam, an uxorem cupis?
Dip. Apage à me amicas; uxorem ego. *Tric.* Bone vir,
Vale; vale, inquam: sit tibi Charon, precor, propitius;
Et, cùm ad tenebrarum istam perveneris domum,
Per genium tuum oro, Furiarum exinde mittas aliquam
(Si tantam abs istis inire poteris gratiam)
Quæ meam curriculò ad Orcum uxorem rapiat.
Dip. Orationis non novi ingenium. Quid mihi, obsecro,
Cum tenebris aut Orco rei est?
Tric. Quia certum est non tot te post nuptias
Superesse dierum, quot ego & tu sumus:
Nam aut extemplo teipsum suspendes miser,
Aut præcipitem dabis, aut istud, olim
Quod in Ponto Euxino Philosophorum princeps, facies.
Dip. Cur tu ergò adhuc vivis? *Tric.* Ità me amet Jupiter,
Dicam tibi; futuras metuo in Orco nuptias.
At nè verbum, quæso; hoc enim uxor si rescisçat modó,
Majus potest facinus quàm Mathematici omnes.
Dip. Quodnam istud est? *Tric.* Ex lingua sua facere
Perpetuum mobile. O Dippe (diis gratias)
Restibus abundat ætas nostra:

Ferri

Ferri dives est, atque montium satis;
Doctorum præterea medicorum affatim est,
Qui veneno lepido ad generum Cereris
Mittant legatum, si isthuc affectes iter.
Dip. Non hercle intelligo. *Tric.* Nempe apertè vis?
Si unquam uxorem ducis, ducis ægritudinem,
Curam, odium, damnum, sollicitudines,
Morbos, venena, laqueos, incendia, atque omnia denique mala,
Quæ olim Romanus in Ibin evomuit Naso:
Etiam hoc intelligis? *Dip.* Satìs equidem.
Sed videâris tu nimis in sententia tua injurius:
Non æquum est omnes unius culpâ æstimare fœminas.
Tric. Unius? vin' mihi credere, Dippe? Facilius est
Fœneratorem invenire facilem & fidum, lenonem album,
Quàm quæ omnibus his non dotata veniat.
Sed unde nostræ fecerunt sonitum fores?
Atque eccum ipsum quem quæris! sanè metuebam Cotyttiam meam.

SCENA VI.

Tricongio, Dippus, Euphues, Gorgonius, Luna, Eugenius, Aurelius.

Euph. NE dubites, tempore juvencus jugo jungitur, tempore---
Tric. Respice ad nos, Euphues. *Euph.* Quis me jubet respicere?
O Tricongio, salve: insidias metuebam.
Tric. Apage, hem tibi præsidium. *Euph.* Salve & tu, quisquis es.
Tric. Discipulum tuum salvere jubes, atque clientem.

Euph.

Euph. Multa equidem bona discipulo atque clienti volo.

Tric. Artem tuam experiri sitit, nam sibi opus esse prædicat.

Euph. Quicquid mea ars efficere possit, spondeat sibi.

Incipe, Gorgoni. *Gorg.* Sic incipio——
Sed arbitros hîc video nescio quos. *Euph.* Nil refert,
An pudibundus? vah! rusticitas est in amore
Pudor, & amentia; præterea, condiscipulus est hic tuus.
* Apage, non placet ista capitis nudatio, neque flexura genuum,
Nullos inimicos à tergo habes pede quibus creas diminuas.
Vide; quoties ostendam tibi? Um, hoc paulò meliùs.
Perge. *Gorg.* Ædepol memoriæ parùm fido meæ.

Euph. Fac periculum.

Gorg. Mira majestas tua prorsus sine menda, forma sine fæce,
Comitas sine curiositate, jucunditas non sine ingenio,
Aspectus severus, sed tamen suavis,
In hunc me miserum injecere morbum,----

Aur. *Dicamus bona verba; venit natalis ad oras.*
Hem, ego hunc diem nugis & risu uberiorem volo---

Euph. Consule chartam.

Aur. —Quàm frugibus Ægyptus olim post Neptuni filium.

Eug. Taceat lingua, obsecro, & loquantur oculi.

Aur. Quid est? *Eug.* Si me ames, taceas.

Gorg. In hunc me miserum injecere morbum, ut nisi tu ægrotanti
Feras opem, non potest, quin statim petam Orcum.

Aur. Etiam tun' isthîc, squalide? *Eug.* Sic tu semper soles.
In amicitiam redeant labella, precor.

Euph. Replica tu, Luma: jam nunc ad te redeo,

**Hîc Gor. exercetur cæremoniis: Agit rusticè.*

Intrant Eugenius & Aurelius. Chartam consulit Gorg.

Nè

Nè te excruciet hæc mora. *Dip.* Nil minús, si placet.
Euph. Incipe : Sed ubi tu, Gorgoni? Phy!
Qualem te putas existimaret Menandra tua,
Si jam coràm præsens conspexerit? *Aur.* Audin' isthæc?
Eug. Rectè : sed quid his cum Menandra?
Gorg. Nónne licet mihi naso operam dare?
Euph. Non eo tempore quo amori. *Aur.* Tu nescis?
Hic est rivalis meus Gorgonius. *Eug.* Bellus, ecastor. Foh!
Aur. Quid rei est ? *Eug.* Viros olet capellarum.
Aur. Imò seipsum olet. *Euph.* Jamdudum expectatur responsio tua, Rosa.
Lum. Si ego in *credendo* tam fuissem *facilis*,
Quàm tu in *loquendo fertilis*, jamdudum in stultorum
Me locâssem Paradiso.
Pulchram me prædicas, & in hoc *palpas*;
Comem, & intelligis *haud castam* : minimé, minimé.
Si tu *erucæ* edisti semina, quæ nutriunt *incontinentiam*;
Tamen ego *nasturtium* manducavi, quod defendit *modestiam*.
Si tu in sinu herbam habes araxam, *virginitati noxiam*;
Ego tamen lapidem in monte Tmolo inventum, *castitatis patronum*.
Tric. Virginitati ? castitatis ? ubi ego solidum mutuum accipiam?
Aur. Deos atque homines ! adeamus , atque ludos faciamus.
Eug. Vel meâ causâ paulisper mane.
Aur. Atque eccum Tricongionem ! S't. *Eug.* S't.
Nutant ad Tric.
Euph. Optimè ædepol, Luma, recitatam hanc dedisti orationem.
Lum. Sed obsecro , magister Euphues, quid si adolescens aliquis
Me impudicè sollicitaverit ? quomodo me respondere decet?

Euph.

Euph. Hoc facillimè fit: Istud de erucæ semine
Atque nasturtio in promptu habes. *Lum.* Non intelligis.
Quid si ille ——— sed sine arbitris tecum de hac re fabulabor.
Euph. Imò loquere jam audacter.
Lum. Quid si iste mihi placeat juvenis?
Euph. Au! hoc quoque facillimum: legisse me memini,
Taurum caprifico alligatum robur perdere,
Damarum armentum maturi odore pomi obstupescere,
Delphinum auditâ musicâ littus petere:
Quid ergò mirum, si taurus immanis sit caprifico domitus,
Quòd mulier ove mansuetior sit ficu capta?
Si feræ odore pomi stupent, quòd formosæ amore juvenis?——
Aur. Salvus sit magister Euphues. *Euph.* Cuja vox prope nos? hem!
Lum. Ah! ego abeo. *Exit.*
Aur. Atque omnes discipuli ejus. O Gorgoni, tun' hic eras?
Equidem uxorem tibi, quæ te digna siet, opto.
Gorg. Mira majestas tua prorsus sine menda, forma sine ———
Euph. Quid? malùm! Hæc tantùm fœminis peculiaris oratio est.
Dip. Illos tu novisti, Tricongio? *Tric.* Optimé.
Qui proximè loquebatur Aurelius audit,
Amator Menandræ. *Aur.* O fors fortuna ———
Tric. Alter, Eugenius est Theophili filius.
Aur. Fortuna fors, non sine floribus cras donaberis hœdo.
Tric. Tentabo; nisi molestum sit, Dippe, est quod te volo.

* *Tric. in aurē Dippum rogat pecuniam mutuam.*

Dip. * Loquere. *Aur.* At quid novi, magiſter Euphues?
Quemadmodum ſaxum, in India quod vocatur lapis,
In aquam injectum, fundum petit : haud aliter
Te valere gaudeo.
Tric. Peream malè, Dippe, niſi cras tibi reddam mutuum.

Exeunt Tric. & Dip.

Aur. Cedo ſodes amico manum. *Dip.* Bene eſt, ſequere me.
Euph. Amico ? ego tales amicos nihil moror.
Aur. Tam iracundus, quæſo ? ah ! bene tum percipio,
Quòd rariſſima roſa habet ſuas ſpinas,
Puriſſimum pollen ſuum furfur, pannus holoſericus ſuam labem———
Euph. Eamus, diſcipule, eamus; erit fortaſſis ubi reponam tibi,
Tametſi me nunc ludibrio habes.

Exeunt Euph. & Gorg.

Aur. In malam rem, literarum venator:
Quid tu Francofurti, nauſidice?
Eug. At obſecro te, éſtne hic chirurgus ille Anglicus,
Qui ingenium anatomizat, quíque nundinis his vernalibus
Cum bibliorum mercatoribus huc venit?
Aur. Rem habes: atque hîc gymnaſium (ſi diis placet)
Inſtituit, ubi certas loquendi formulas
Adoleſcentulos atque virgines docet.
Viden' quàm pulchrè illius arte ſtulteſcat Gorgonius?
Eug. O graphicé : ſed unde eum dicam hoſce mutuatum floſculos?
Nunquid tam ſcitè ineptias agunt paſſim in Anglia?

SCENA

SCENA VII.

Eugenius, Aurelius, Ludovicus.

Aur. O Optime Menandræ meæ custos, atque patrue,
Quò tandem sapientia te ducit tua, atque barbæ prolixitas?
Lud. Post varios casus, post tot discrimina,
Post tot annorum labores, atque lucubrationes crebras,
Jam tandem (utì spero) inveni quod in votis fuit,
Lapidem nimirum hunc invisibilem mihi;
Quo scilicet in ore gestato meo,
Alios videre possum omnes, at me mortalium nemo.
O sanctum manuscriptum!
Cujus ego operâ luculentum hoc perpetravi facinus.
At videam: ubi sunt conspicilla mea?
Aur. Quid nunc rerum geritur, si diis placet?
Lud. Carmen ad sistendum sanguinem: *Hem, hum, sanguinem,*
Sanguinem, hum, bene. Ut mulier sequatur te,
Scribe has literas in manu, *Literas-hum literas*---
Literas in manu. Ut mulierdeponat vestes--(Ha ha he)
Vestes, vestes, hum, Walbuch cum cruce,
Debagux cum cruce, cruce, hem, hem. Au! jam locum teneo.
Ad faciendum lapidem invisibilem,
Tertiâ facie ascendente leonis, (*Bene-hem-hem,*)
Et in eadem versante Lunâ (*Optimè-hem*----)
CAPE tibi rubetam magnam, atque pone in harpagio aliquo,
Quod multa habet foramina: cujus os obtura bene,
Atque postea in formicario infodias-(*Hem-hem,*)
Et post modicum temporis de ista rubeta nihil invenies

Relictum,

Relictum, nisi ossa & lapidem in capite ejus.
Optimé. Quem lapidem accipias, atque primo die
Ponatur in urina virginis masculi; Secundo, in vino albo calido;
Tertio, in succo fœniculi; Quarto, in albumine ovi,- (*hem---*)
Quinto, in lacte mulieris masculum nutrientis--(*hem*)
Sexto, in vino rubro; Septimo, in septem albuminibus ovorum:
Rident Au. & Eug. Et factum est. Ha ha he.
Næ ego hæc omnia accuraté feci.
Nimis jam volo mortalem aliquem mihi fieri obviám:
Et videón' Eugenium cum Aurelio fabulantem?
Equidem beâstis me:
Super his, me videant an non, faciam periculum.
Aur. Simulemus, obsecro: virtutem istam lapidem habere credat.
Quis hîc loquitur? *Lud.* Non me vident: salvus sum.
Eug. Portentum! Vox & præterea nihil?
Lud. O sanctum manuscriptum! *Aur.* Deorum numina!
Quantum in anno suo magno erravit Plato?
Nimis equidem longam isti destinavit vitam:
Æneas nunc iterum ad Carthaginem viam corripit,
Et Venus obscuro gradientem in aëre sepsit.
Lud. Ha ha. Næ ego sum omnium quantum est hominum
Beatorum beatissimus. *Aur.* Eugeni. *Eug.* Quid vis?
Aur. Audistin' vocem iterum? *Eug.* Audivi: at unde est, obsecro?
Neminem pol video. *Aur.* Neque ego, mediusfidius.
Lud. Quantos jam creabo ludos! Ha ha he.
Aur. Eug. Ha ha he.
Aur. Metuo maximé. *Eug.* Quid metuis?
Aur. Nè ego sim miser in æternum;

Crucifi-

Crucifixum enim reliqui domi; & certum est,
Spiritum aliquem nobis insidias struere.

Hîc Aur. & Eugen. metum exprimunt, clàm tamen rident.

Lud. Spiritum me credunt esse: minitabor. --Aureli. Ha ha he.
Ubi est iste Aurelius? Ha ha he.
Ego Aurelium istum detruncabo protinam,
Meam qui Menandram deperit.

Aur. Me nominat atque amores meos; stringe mecum gladium.

Lud. Perii! quid facturi?

Aur. Ubi ego rivalem inveniam meum ?

Lud. Occidi! quid ego nunc faciam ? ohime!

Aur. Atque ejulas ? cave sis, perterrefaciamus tantùm bestiam.

Eug. Euge, tetigi, corpus habet. *Lud.* Heu! quid me fiet?

Aur. Observa tu istas fores,
Nè isthàc fortè seipsum præcipitet.

Gladios vibrant.

Lud. O me infelicem! quò me vertam incertus sum.

Procumbit humi.

Aur. Eugeni, ocyùs amabó, ocyús; vocem ejus
Accepi rursus, atque ipsum revera; teneo, teneo ;
Opitulare mihi; væ capiti ; quàm robustus !

Lud. Apagite vos à me: quid agitis?

Aur. Barbam habet & nasum; homo est, sat scio.

Eug. Eodem argumento & hircum evincas. Sed ubi est amabó?

Aur. Hîc ad lævam ; da manum ; prehendin' jam?

Eug. Optimé: hui! quàm catholicam barbam alit!

Aur. Et quid ais de naso? *Eug.* Romanum quidem.

Lud. O---o--- Furiæ---o---o---mastigiæ , mastigiæ---o---o---
Quid vultis ?---o---o---*Aur.* Ha ha he.
Cave, insane, nè digitos comburas tuos.

Eug. Bene pol mones : Sed cùm de digitis loqueris,
Ubi sunt manus ejus? annulum
Fortassis invisibilem portat, quisquis est.

Lud. Heu! hoc quid sit, me quòd nondum vident?
Siquidem lapidem jamdudum in loculo reposui.

Eug. Nullus est in hac. *Aur.* Neque in isthac: mirum est.

Eug. Nè mirare; dæmoniacus est planissimé; aliter non potest.

Aur. Vin' isti dæmoni viam per latera faciam gladio?
Vin' illi Æsculapius ut siem? *Eug.* Cave faxis, obsecro.

Aur. Hem, impetrâsti: sed quid eo faciamus, dic sodes.

Eug. Quid si ad Ludovicum hîc apportemus in proximo?

Lud. Dii faxint. *Aur.* Nam cur ad illum? *Eug.* Vah! rogitas?
Artes ille callet, quibus dęmones nullo negotio abigit,
Sed & lapidem (uti aiunt) invenit nuperrimé, quo quis munitus invisibilis ambulat.

Lud. Euge! laudat me quasi absentem;
Artes simul & fortunas miratur meas:
O præclarum lapidem! aurichalco contrà pol minimè carum.

Aur. Ha ha he. Audin' fatuum? *Eug.* Audio: quin ludos porrò faciamus.

Aur. Lubentissimé. *Eug.* Sed audi potiùs lepidum commentum,
Quod mihi nunc primùm in mentem venit.

Aur. Audire gestio. *Lud.* Quid (malúm!) nunc capita conferunt?

Aur. Non satis intelligo. *Eug.* Advortas animum;
A patre (inquam) in mandatis habeo,
Arcam quamprimum ad sororem mittere.

Aur. Sororem tuam Feliciam vis, quam ad Monasterium
Sanctæ Catharinæ ablegavit nuper?

Eug. Tenes. Conjiciamus in hanc arcam invisibilem

bilem hunc asinum Ludovicum.

Lud. Quàm ego nunc totus tremo, nè, quo pacto lapidem mihi surripiant,
Consilia conferant! *Aur.* Perge porró.

Eug. Et sic in arca conclusus, ad Monasterium transportabitur protinam;
Quo facto ad Menandram neptem ejus & amores tuos
Latissima patebit via.

Aur. Euge, mi Eugeni! beâsti me planè hoc tuo consilio.

Lud. Sic est profectó; lætantur de commento surripiendi mihi lapidem.

Eug. Liberè etiam de rebus vestris licebit consulere.

Aur. Atque illam, si necesse fuerit, ex ædibus patrui
Verè tum invisibilis aliquò deducere:

Lud. Perii; vocem *invisibilis* audio : insidiantur lapidi meo planissimé.

Aur. Quin in hominem irruimus, Eugeni mi?
Et rapimus hinc ad vos è vestigio?

Eug. Ubi etiam minas addemus gravissimas,
Nè in arca vel tantillum strepitus faciat.

Aur. Ha, ha, he; ridebimus affatim. ---Sed hoc agamus.
Quisquis es mortalium--- *Eug.* Aut quicquid rerum--

Aur. Nobiscum ibis. *Eug.* Vel ingratiis.

Lud. Ohime! quò me rapitis? mittite me, obtestor vos, obsecro,
Et artem meam vobis impertiam, aut ipsum donabo lapidem.

Eug. Frustra es.

Exeunt.

Finis actûs primi.



ACTUS SECUNDI
SCENA PRIMA.

Euphues, Gorgonius, Caßio cum lychno, Eugenius, Aurelius, Croto & Bardax cum risco, Tricongio ebrius.

Euph. Ohibe te intra limen parumper, mi discipule : prospectabo priùs,
Nè nobis iterum locentur insidiæ: atque eccos quos metuebam.
Eug. Croto, quod mandavi cures vide diligenter atque sobriè;
Arca nimirum hæc ad sororem fac volet :
Atque hem tibi clavem! *Aur.* Eugeni. *Eug.* Mi Aureli, venio.
At nolo scelus te extispicis partes nunc agere,
Et quid viscera ominentur percontarier. *Exeunt Aur. Eug. & Cassio.*
Crot. Quorsum hæc suspicio, here? Non est istarum artium
Aut operarum Croto: ---cape sis funem hunc tu.
Mirum est quid in hac sepeliatur arca; siquidem
Inspectionem tam cautè nobis prævetuit herilis filius.
Mehercle terram valde amat, vix possum ab osculis mutuis----
Bar. Vin' introspiciamus? *Crot.* Si vis; circumspice tu interea,
Nè quis à nobis imprudentes opprimat. * ** Clavem apponit seræ.*
Bar. St, Croto. *Crot.* Quid rei est?
Tric. Caveant sibi edico omnibus; nam si quenquam in via
Prehendero, dabit infortunium * ** Offendit in riscum,*

Quid,

Quid, malúm? Quis pedibus meis tam familiaris est?
Veni nunc furcifer, veni modó. *Crot.* Tricongio!
Tric. Tricongio? Quis ille tenebrio qui me tam serviliter
Compellat? ego sum Tricongio Persyngraphicus,
Pamphididascalus; Romanus sum & nomine & virtute.
O mi Croto, mi suavissime congerro, mi festivissime--
Non occurrit hercle nomen te dignũ aut meritis tuis:
Ibis mecum, per Jovem: eamus, eamus:
Vinum nos expectat, depromptum est (me vide) depromptum est.
Vinum Hispanicum tibi dabo, lepiduscule,
Et cantabimus invicem. Quid (malúm) renuis?
Crot. Mitte me quæso: alia jam me avocant negotia.
Tric. Deûm atque hominum! non te dimittam, mi Crototule.
Crot. At viden' provinciam hanc nostram? ad Monasterium
Hoc nos asportare oportet priùs, mi Tricongiole.
Tric. Ad Monasterium? imò ego te ad locum ducam meliorem,
In œnopolium nostrum fratris Boniventris; hîc in proximo.
Sed quis illìc est homo?
Crot. Conservus meus. *Tric.* Tum conservus tuus nobiscum ibit uná.
Sic erit, per Jovem,-- per deos.
Crot. At quid de hac fiet arca interea, sodes?
Tric. Si bibere potesset, deduceremus simul;
Sed quando istam non novit artem, vos hîc præstolabitur sobria.
Crot. At audi, obsecro. *Tric.* Nihil audio; sequimini me.
Crot. Eamus; redibimus è vestigio. *Exeunt.*
Gorg. Magister, magister, abiêre. *Euph.* Pro certon'? *Gorg.* Crede mihi, certó.
Euph. Prospecta denuo. *Gorg.* In malam rem, video alterum.
Euph. Proin redi.

SCENA II.

Endomuchus solus.

SAlvete plurimùm tenebræ; Túque istarum Nox regina,
Salve, nimis (heu!) nimis animi vera imago mei.
Præpollens Amor! quàm citò è Germania patria
Ad Antipodes tuâ sum provectus operâ!
Quum enim vigilant populares mei,
Ego interea loci latibulum quærito;
Et contrá, ubi quietem agunt illi, ego foras prodeo miser;
Occidentémq; non aliter, quàm Persæ orientem,
Adoro Solem. Sed quid de Sole loquor?
O mea Felicia, tu mihi Sol: nempe quod majori ille
Mundo, hoc tu huic minori præstas:
Noctes atque dies mihi non cœlorum quidem,
Sed sydera longè splendidiora tui faciunt oculi:
Quos si recludas, lux est; imò Alcedo pullos educit suos:
Quin abscondas iterum, etiam pudibunda caput
Abscondit dies, & nocti cedit imperium.
Sed somnias, inepte;
Neque enim aut illius pulchritudinis, aut meæ miseriæ
Simulachrum universa suppeditat mundi fabrica:
Siquidem Soles occidere & redire possunt,
Absentiámque matutino adventu affatim compensant suo:
At mihi semper Jupiter cum Alcumena cubat,
Nox est perpetua. ----Beati muri!
Sinite me vobis suavium imprimere.---
At quid fecisti, insane? inimicis suavium? invidi muri!
Felicia, mea Felicia, quin Endomucho tuo respondeas:
Nullus audio, nullus sum; Felicia. *Lud. in risco.*--Licia.
End. Ha! quænam ista vox? Felicia. *Lud.* --Licia.
End. Perii; ludit me crudelis Echo: Etiam tun' amatoribus Narcissi

Narcisi odium ? Felicia. *Lud.* ---Licia. *End.* Atq; iterum ?
Quàm nimiùm vellē jam nunc tibi corpus, loquacula,
Ut pœnas des postea! Sed comprime te, profana lingua.
Fortasis istius nominis delectatur sono,
Atque ideo haud semel misella gestit repetere.
Si sic, formosa, Endomuchus tibi gratias habet.
Hoccine parentum ? O verè *Senile odium!* parentes immanes!
Nullo alio pacto vobis liberos reponere posse arbitramini,
Nisi id quod dedistis vitæ reposcatis illico ?
Sed quid hîc ante pedes habeo? Ha!
Quantum per noctem licet, riscum video repositorium,
Majusculis superscriptum literis.---Oculorum delicias!
Quid video ? Felicia Theophili ? Dii me servatum volunt.

SCENA III.

Endomuchus, Ludovicus in risco.

Lud. ATqui me perditum funditus!
End. Unde dicam hunc provenisse sonitum?
Lud. Oh! Ohime! *End.* Quænam hîc fiunt præstigiæ ?
Lud. O, fer opem, obsecro, quisquis es; subveni misero.
Oh! vix capio anhelitum; tantâ aëris laboro in angustia.
End. Quicquid est, arcam tentabo reserare: atque eccam clavem in promptu.
Ha! quis tu es, homo? aut unde hîc inclusus, obsecro? *Reclusâ arcâ de subito prosilit Ludovicus.*
Lud. Dicam; at sine respirem priùs, siquidem responsionem velis.
End. Loquere, inquam, istâ quid tibi debetur in arcâ, Veneree nepotule ?
Quin respondeas, scelus. Quid sibi vult in hac meæ

Feliciæ occultatio? *Lud.* Oh! ægrè tandem animam trahio:
Omnia tibi dicam ordine: sine modó. *End.* Sino.
Lud. Nostin' (opinor) Eugenium Theophili filium.
End. Non meipsum melius. *Lud.* Atque sodalem ejus Aurelium.
End. Quippini? *Lud.* Quos omnes dii deæque perdant.
End. Non taces? *Lud.* Hi homines mihi fortè fortunâ hodie fiunt obviám.
End. Quid tum postea? *Lud.* Miseris multis atque malis
Me tractabant modis; atque tandem in riscum hunc,
Quem ad filiam suam Feliciam cum vestimentis ejus
Mittere jussit pater, me ludibrii causâ
Compingunt isti viri bellissimi; & eodem
Quo me offendisti modo, ad Monasterium me decrê-runt deportarier:
Adjectis insuper minis plurimis,
Nê hiscerem quidem priusquam ad Feliciam appelle-rem.
End. Venerem video, orientis præludium Solis:
Nunc spes est mihi iterum affulsuram diem.
At mane; cur hic relicta est arca? expedi:
Lud. Scies. Servi, quibus ad ferendum hoc creditum est,
In proximo potant œnopolio; jam hîc aderunt, scio:
End. Lucescit magis atque magis hoc tuo responso. Tantum est,
Servíne hujus conscii sint facinoris, nécne?
Lud. Juxtà cum illis qui nihil nôrunt. *End.* Eia:
Nunc vulgus cœli capita obducunt sua, Sol exortus est:
Præ gaudio (ità me dii ament) ubi sim nescio.
O Patrone mi! sine te amplecter mea commoditas.
Sed quid moror?
Vin' tu hominis amici mihi officium fungier?
Lud. Pro-

Lud. Promeritus es quidem.

End. Tum exuvias tuas meas induvias volo.
Obſecro te, quamprimum me hîc impingito. Quid ſtas,
Quaſi rationem quæras? Si te memorem beneficii,
Et me felicem audire cupis, fac quod te rogo. *Endomus-chus in arcam inſilit.*

Lud. Æquum poſtulas mehercle;---vel in carcerem, ſi volupe eſt.
Agé, caput tuum reclines molliter, ſi ſapis; ſic.---
Atque eccos ipſos! Quicquid jam fiet, ego me domum recipiam. *Exit.*

SCENA IIII.

Croto, Bardax.

Crot. QUid ais, Bardax? *Bar.* Quid?
Hominem iſtum Tricongionem appotum eſſe probé.

Crot. Pol à vero minimum abeſt iſthuc verbum;
Sed porta tu ad iſtam partem.

Bar. At non inſpectabimus, uti animati fuimus?

Crot. Tempus jam non patitur, atque herus etiam
Jamdudum nos expectat; præterea nobis quid profuerit
Videre, quod auferre non licet?

Bar. Verum dicis, Eamus ergó.
Atque eccum Tricongionem. *Crot.* Properemus ergó:
Nam ille nos reducet in œnopolium. *Exeunt.*

SCENA V.

Tricongio ebrius ſolus.

HOminum omnium, quem ego ſi vivo; vini perniciem----
Non mihi ſextarium ut credat? Etiam inter amicos
Fidem jugulare? Profectò verbis jam nunc conſequi nequeo

Quàm

Quàm gravem inimicum isthoc nomine habiturus
Me sit in posterum. Postquam ego hinc abii,
(Non proximè volo, sed cùm Eugenius
Et Aurelius hîc erant præ foribus)
Solidum ab amico Dippo accepi mutuum:
Post id locorum in proximum dehinc me abdidi diversorium,
Ubi viam in ventrem ostendere istum decrevi nummulum:
Quod factum dedi fabré, & pulchrè satís. *Up.*
Quid (malúm) est? nónne placet domicilium?
Ædepol non brassicam in ventre habeo.
Sed vide sis astutiam atque nequitiam hospitis;
Dum in manu videt pecuniam, amplectitur,
Nemo atque ego optatus æquè illisce potat in ædibus,
Dextras jungimus, atque Genium me vocat suum,
Germani simus fratres. Hæc dum facta sunt,
Vinum ingenio me atque nummo circumducit illico:
Ego, quantum potui, oculis atque ore hospitem venatus sum;
Nullus video, neq; ubi sit Germanus frater meus
Quisquam indicare potest. Vinum rogo:
Respondet qui promit, mihi nihil opus esse.
Ego strenuè atque athleticè (sicut virum decet) iterum peto:
Ille me pecuniam rogat. Ego me fidem habere
Apud herum dico ; pecuniam jam non habere. Quid opus verbis ?
Ubi me vacuum sentiunt, excludunt foras:
Et sic ego domum revertor penè ebrius;
Atque intrabo. Sed quid hoc ? occlusa est janua :
Pulsat ostium. Quis mihi respondet, atque aperit?
Nemon' est? subolet mihi hoc negotium:
Decumbit Tricong. Sub Jove frigido hoc noctis dormiendum est mihi.

SCENA

SCENA VI.

Aurelius, Eugenius, Tricongio dormiens prae foribus, Cassio.

Aur. Estne hic Philautus ille Leonhardi filius,
Quem nos reliquimus modó? *Eug.* Ipsissimus.
Haud equidem placet vinum, quod bibi modó.
Aur. Neque mihi. Sed ubi Cassio tuus? invesperascit validé.
Eug. Ventus lychno extinxit oculum, atque is
Vulcanum (ut opinor) quærit ophthalmicum.
Aur. Sed audi, obsecro; quemnam mortalium
Se putet esse Philautus, mirari nequeo satis.
Eug. Neminem opinor mortalium. *Aur.* Opinor? Enimvero
Ex voce, vultu, gestúque Alexandrum Magnum,
Aut Turcarum Imperatorem crederes.
Eug. Au: nimirum sic nunc oportet, postquam frater illius
Major, Endomuchus, ad plures abiit,
Atque ipsum hæredem reliquit adeó.
Aur. Ain' verò fratrem ejus ad plures abiisse?
Eug. Quidni? certè enim nusquam invenitur gentium,
Et decem jam sunt elapsi dies
Quando paternis valedixit ædibus; unde rumor
Undiquaque spargitur, apud superos non esse.
Aur. Inaudita narras mihi. *Eug.* Et hoc monstrum mali
Duo inæquales genuerunt parentes. *Aur.* Quinam isti?
Eug. Amor atque Odium. *Aur.* Amabò (Aurelius sum,
Non Oedipus) quid tu hîc ænigmata?
Eug. At reddam perspicuum: amor scilicet juvenem inter

Et

Et sororem meam, parentúmque odium;
Quod tu scis quàm implacabile semper fuerit. (erat,
Aur. Doleo ecastor vicem hominis; nimirum hoc
Quòd religiosam sororem tuam voluit pater.
Eug. Tenes. Et hoc est quod Philautum tam elatum facit.
Aur. Ædepol humilis satis est nunc jam, ni fallor:
Nam dormit ebrius in proximo œnopolio.
Eug. Morbo nimiùm pestifero laborat, Aureli. Sed quid hîc?
Etiam tam citò in urbem hæc se sparsit contagio?
Aur. Dii immortales! Tricongionem conspicor.
Eug. Is est profectó; hem, Tricongio, quid agitur?
Aur. Quin expergiscere (inquam) Tricongio.
Eug. Sisyphi quidem saxum volvimus. Quid ais, Aureli?
Aur. Quid vis? *Eug*. Vin' facinus luculentum atq; graphicum tibi?
Aur. Quàm divitias mavellem. *Eug*. Scis tu Philautum,
Somno vinóque sepultum, apud signum nunc stertere Diaboli?
Aur. Scio. Sed quid de hoc? *Eug*. Scias faxo.
Vestes ego horum atque loca mutare volo, aliud nisi tu suaseris.
Aur. Quid tum porró? *Eug*. Quid, nisi ex Tricongione
Philautum, atque ex Philauto Tricongionem facere planissimé?
Aur. Consilium placet. Atque cùm mecum cogito,
Non multùm facie sunt dissimiles, neque staturâ adeó.
Eug. Vera prædicas. *Aur*. Sed mane dum:
Nè expergefiat, vestes dum mutantur, cauto opus est.
Eug. Nihil opus; me vide,---Octinginta tympana
Illi, si adessent, somnum excutere nequeunt.
Hem Cassio, ocyùs ad me; ubi tu es?

Cas. Præstó:

Caſ. Præſtó: ſi quid vis, impera. *Aur.* Sed audi iterum, Eugeni:
Quid ſi ſervus ejus, qui dormientem comitatur herum,
Non ſinat hoc fieri?
Eug. Nempe quid ſi cœlum ruat?
Domini famulus eſt, eandem potionem ab eodem accepit medico;
Dormit etiam. Caſſio. *Caſ.* Adſum. *Eug.* Niſi malè memini,
Ex te audivi, patrem tuum lanionem eſſe.
Caſ. Scilicet non te fallit memoria, here.
Eug. Nunquid vitulos portare ſolitus, cùm apud patrem eras?
Caſ. Non eſt quòd mentiar, here; Perplurimos.
Eug. Antiquâ tuâ arte nunc opus eſt; vide,
Cape ſis iſtum ſublimem, atque moliter: audiſtin'?
Caſ. Quid de eo factum vis? *Eug.* Ad diverſorium
Dehinc proximum quamprimum bajula: Ego te ſequar: Cedo mihi lychnum.
Caſ. Ὦ Ζεῦ· hic eſt profectò bibliopola Tricongio ebrius.
Eug. Ὦ Ζεῦ; ſi operâ tuâ experrectus ſiet,
Sentient ſtatim iſthuc ſcapulæ tuæ.
Tu, Aureli, meum hìc præſtolare reditum.
Aur. Quod felix fauſtúmq; ſit nobis, totique Reipublicæ nugatoriæ. *Exeunt Eug. & Caſſio Trſcongionem bajulant.*

SCENA VII.

Aurelius ſolus.

QUòd ſpretus & contemptus ambulat Aurelius,
Tibi, Fortuna, non vitio verto. Omne hoc
Depravatis hominum moribus, populique ignorantiæ imputo,
Qui neminem probum, ſapientem retur neminem, niſi qui dives.

At

At esto: Nil scilicet novi facit.
Verùm cùm oculos contemplatum foras emitto meos,
Et hîc fungum invenio, Euparyphum ex Comœdia,
Qui mullum præter, & aprum, nil prorsus sapit,
Centum conducit coquos ut sibi & parasito suo satìs siet,
Et multa præterea, quæ miser & frugi non fecit Apitius:
Illìc vitiorum molem,
Quæ criminibus debet hortos, prætoria, mensas,
Argentum vetus, & quicquid eorum quibus illius debetur honor:
Hîc rursus ganconem alterum, sapientem juxtà cum præciso sue,
Cujus ad repetenda nomina opus est viatico:
Cùm omnia hæc (inquam) fieri video,
Atque in meipsum demum oculos retorqueo,
A querelis mehercle vix ægrè abstineo.
At ô Menandra mea! Paupertas nunquam mihi
Æquè videtur gravis, atque cùm de te cogito:
Tum quasi maximum omnium abominor malum,
Quam inter felicitates numerabam antea.
Infelix rerum inopia; atque eò sanè infelicior & acerbior,
Quòd meliora Aurelii nomen videbatur ominari mihi.
Ad hæc mala hoc mihi accedit etiam,
Quòd scelus viri, Ludovicus, Menandram meam
(Cujus in potestate illius moriens reliquit pater)
Gorgonio (miserum me!) dare laborat nuptum.
Inter has ærumnas hoc me consolatur tamen,
Quòd mortem ipsam (utì virginis novi constantiam)
Lubentius longè quàm istas amplexabitur nuptias.

SCENA

SCENA VIII.

Aurelius, Cotyttia, Luma.

Aur. SEd fores à Tricongione crepuêre ; atque eccam Cotyttiam !
Quàm ego metuo, nè hæc Eugenii disturbet fabricam,
Diu si præ foribus maneat. Concedam huc paululum,
Ut quid agat accipiam.

Cot. Luma, Luma, inquam. *Lum.* Mea hospita.

Cot. Jube dum amabò ancillam meam quamprimum descendere.

Lum. Nam quam tu ancillam vis? nè musca quidem ancilla est in ædibus.

Cot. O mores! tam illam jam aufugisse scio, quàm me vivere.

Lum. Quid mirum, mea hospita; tu quando eam sic quotidie verberas?

Cotyt. Eia veró ! Nónne virum etiam meum quotidie verberibus accipio?
An illa melior viro? quid ego nunc faciam,
Quando vir meus redit domum madidus, utì solet?
Optima mea Luma, túne mihi (si opus fuerit) adjutrix eris?

Lum. Si quid meæ vires efficere possint, impera.

Cotyt. Mecastor bona es; & tu, mea Luma, quando nupta fueris,
Idem mihi impera; & si imperium detrectem, habear omnium ingratissima.
Sed eamus intró, & pessulum imprimis obdamus ostio.

Lum. Ad manum tibi sum, mea hospita. *Exeunt.*

Aur. Salva res est; redit intró.
Væ scapulis Tricongionis suppostititii, quantum ego illam audivi loqui.

SCENA.

SCENA IX.

Aurelius, Eugenius, Cassio bajulans Philautum veste Tricongionis indutum, Cotyttia, Luma.

Eug. CIrcumspicere lubet priusquam ingrediar. Oh! omnia fabré;
Neminem video nisi amicum meum. Quid agis?
Aur. Expecto ludos tuos. *Eug.* Placidé, Cassio, placidé.
Aur. Sed quid vos Tricongionem reducitis?
Eug. Quid tui hallucinantur oculi? depone humeris.———
Aur. Nónne is est? *Eug.* Hominem contempla.
Aur. Mecastor, quantum ego video, Tricongionem video.
Eug. Utere oculis meliusculé. *Aur.* Deos precor;
Nunquam tam similiter Mercurius simulavit Sosiam,
Cùm longa erat nox. Sed Philautus quid?
Eug. Ipsus hic est: Cassio, abi tu domum; atque audin'?
Cave nè quis hæc facta esse à te sciverit.
Cass. Nè dubites, here; non faciam. *Exit.*
Aur. Quid nunc agendum est, Eugeni?
Eug. Opus est mihi circulo, atque aquâ benedictâ;
Vel, qui instar omnium est, Francisci cucullo.
Aur. Nam quid eis, obsecro? *Eug.* Suscitabo ego extemplo
Cacodæmonem. Tic toc. S't, factus est intus sonitus. Tic toc.
Prodit Cotyttia. Furiæ prælusit iste adventui, sat scio.
Hui! carmen quàm præpollens!
Cotyt. Eia! Jam tandem verbero? citò, mea Luma, citò scipionem mihi.
Lum. Hem tibi! *Cot.* O mi lepide potator,
Vapulat Tricong. Ni ego te, furcifer, ex Tricongione faciam

Malorum

Malorum quinque-congiarium. *Vapulat Tricong.*

Eug. Abscede longius à foribus.

Cotyt. Et nisi sanguinem è capite depromam tuo,
Quàm tu vinum unquam à cado, crebriùs--- *Vapulat Tricong.*
Phy phy, defessa sum verberando mastigiam.

Lum. Proin respira pauxillulum, mea hospita:
Et ego quid possim interea loci experiar, si placet.

Aur. Ha ha he, nimis beat quod nunc ebrium est verbereum caput.

Cotyt. Imò operam & oleum perdo, mea Luma;
Iram, dum vigilat, reservabo meam; proin, Luma,
Cape tu, quæso, pedes hujus hospitis tui bellissimi,
Dum ego sobrium ejus caput induco postea. *Exeunt.*

Eug. Facilis descensus Averni, &c.

Aur. At nunc abunde nugarum fecimus, mi Eugeni;
Obsecro te jam, in rem quod erit meam, ad Menandram huc,
Dum abest senex, nosmet recipiamus pariter,
Ut de virgine ex hisce ædibus eripienda
Aliquid inter nos capiamus consilii.

Eug. Sequor te. *Aur.* Dii vostrûm fidem!

Eug. Quid sibi vult hæc subita reversio tua?

Aur. Nullibi veriùs Philosphi; *Intùs existens prohibet alienum.*

Eug. Quid rei est? *Aur.* Domi eccum Ludovicum!

Eug. Domi? non verisimile dicis. *Aur.* Imò plusquam verisimile,
Aut ego hisce oculis jam postremam habeo fidem.
Viden' ubi meditabundus ambulat? *Eug.* Apage bestiam: nimis nunc quidem visibilis.
At quomodo hoc fieri potest? *Aur.* Nescio: hoc unum tantùm scio,
Me spei simul atque vitæ naufragium fecisse hodie;
Ità vigilans iste Draco omnia mea conturbavit consilia.

Eug. Meliùs ominare; Medeam exorabimus, herbas det nobis

Quibus in ignotos oculos somnum immisit custodi arboris aureæ.
Eamus ad nos interea, ut de hac re servi,
Qui istum asportârunt, reddant certiores.
Aur. Dimidium habe: melior verò pars mei
Hic in proximo hærebit vel ingratiis.

Finis actûs secundi.



ACTUS TERTII
SCENA PRIMA.

Tricongio in veste *Philauti*, *Rusanus* servus *Philauti*.

Tric. JAm lucescit, video: nimis sapienter
Hesternam edormisti crapulam,
Tricongio.
At Dii servâssent me! ut ego pulchrè vestitus ambulo,
Atque athleticé! Mira hæc sunt. Sed quis tu es homo,
Qui me quid faciam observare non desinis?
Rus. Hem! servum tuum non nôsti? *Tric.* Servum meum? Ha, ha, he.
Responde mihi insane; Quis ego sum hominum,
Tu quem herum appellas tuum? *Rus.* Ecastor, problematicon:
Scilicet, cùm per alterum triennium tecum ero, hoc dicam tibi.
Tric. Molestus es; vin' quod te rogo expedire?
Rus. Philautus es Leonhardi filius.
Tric. Pol me superbum esse oportet, ità ut nomen cluet.

Quis tu es ergó? *Ruſ.* Servus tuus. *Tric.* Aliud rcgo.
Ruſ. Atque ego aliud reſpondeo. *Tric.* Quid eſt tibi nomen?
Ruſ. Eia! delicias facis, here; quaſi tu non nôris.
Eſt mihi nomen Ruſano. *Tric.* Ain' tu, Ruſane, te ſervum
Meum eſſe? *Ruſ.* Aio enimvero. *Tric.* Tum in malam rem
Servum ſuum Ruſanum abire jubet herus Philautus;
Quò hoc evadat negotium, mirari nequeo ſatis;
Undequaque ſum nobilis. ------
Nempe, ſi Deorum aliquis felicem me, atque fortunatum volet,
Non æquum eſt mihi iſti adverſari Numini.
Sed mane dum; ornatum hunc marſupium opimum
Atque ſaturum certum eſt comitarier: Quid ego video? *Quærit pecuniam in loculis.*
Dentiſcalpiorum nemus, & præterea nihil?
Dentes pol habeat oportet minimè mucidos,
Cujus divitiæ totæ in his ſitæ ſunt: Au, iſthoc armatus ſum in loco. *Galerum inſpicit.*
At mane, mane; hujuſmodi veſtes ſine nummo? mirum facinus!
Sed fortaſſis ſervos herilis cuſtodes pecuniæ
Factitavit uſus: faciam periculum. Ruſane. *Ruſ.* Quid vis?
Tric. Cedo mihi marſupium, tuæ quod olim credidi cuſtodiæ.
Ruſ. Non equidem credidiſti, neque unquam te marſupium habere memini.
Tric. Negas? Quo ergò in loco pecuniæ meæ habitare ſolent?
Ruſ. Ubi quod nuſquam eſt.
Tric. Næ ego ſum pulchrè miſer, utì verba audio.
Sed audi, Ruſane. Abi tu domum è curriculo,
Atque aurei iſti mille, qui in arca clathrata dormiunt,
Fac huc iter faciant continuó.

Ruſ. Aurei mille? Ha, ha, he: Quantæ inſunt vino divitiæ!

Tric. Etiam pro ridiculo habes, furcifer? ſtimulorum ſeges----

Niſi ego ſolem & lucem filiam ejus in viſcera tua
Per tot ducam feneſtras, quot unquam in cribro vidiſti foramina.-----
Aufugit ſervus. Ecce autem! quàm pernix fugit homuncio!
Quis ego ſim hominum neſcio; at hoc certo certius eſt,
Me heroum eſſe aliquem, atque bellatorem ſtrenuum;
Ità homines omnes, quoſcunque video, perterrefacio. Ha, ha.
Ferrum pol perpolitum nimis!
Legit inſcriptionẽ gladii. Sed quid hìc inſcriptum habet? *Me fecit Henricus*
Pomeranus, ad Imperialem Majeſtatem Machæropœus,
In anno Tertio Sereniſſimi Imperatoris Rodolphi
Secundi, jam habitans in nobili Francofurto.
Henricus Pomeranus ad Imperialem majeſtatem
Machæropœus? ha! Ad imperialem majeſtatem Machæropœus?
Ecce autem inſignia imperii! Solem video,
Atque aquilam explicatam cum duobus capitibus.
Mirum eſt, ni ego nunc Imperator electus ſiem.
Et cùm meliùs hæc animo verſare incipio meo,
Quaſi per nebulam noviſſimè extinctum audiviſſe me Ferdinandum memini.
Nemo eſt hodie qui mihi aliud dabit conſilium.
Quin ità eſt planiſſimè, utì ego autumo:
Magnum me faciam nunc, quoniam & idem decrevit Fortuna;
Sed ubi Satellites?
Curate ut equi, & carrucæ meæ actutum in promptu ſient,.
Nam me quamprimùm ad Aquiſgranum Juliaci recipiam,
Ubi coronam argenteam pro Germania;

Deinde

Deinde ad Mediolanum, ubi ferream pro Longobardia;
Et pòst me Romæ dabo, ubi auream denique pro imperio ----
Ego statim (decretum est) bellum inibo cum Hispaniæ Rege,
Atque cum Papa superbo ejus Capellano:
Et nisi dabuntur extemplo Hildebrandi ossa,
(Qui Henrico quarto antecessori meo interdixit Ecclesiæ)
Ut ex pulvere illorum medicamentum fiat contra scabiem,
Sanctè juro hìc, me (dictum, factum) Lutheranum fore.

SCENA II.

Tricongio, Sutor vestiarius, Lictores duo.

Sut. HEu me! fidem (ut mores nunc sunt)
Qui inter homines quærit, frustrà quærit.
Vel hic Philautus juravit quoties
Numeraturum quam mihi debet pecuniam?
Sed neque nummum adhuc, neque ipsum jam invenire possum.
Quem si semel --- *Est locus in carcere quod Tullianum appellatur.*
Nervis & compedibus faciam, ad manum ut siet;
Non tam acriter sudabo illum quæritando, si opus erit postea.
Au, obsecro vos; ipsum video; Lictores,
Hìc manete clanculum dum vos evocavero, obsecro—
Molliter priùs verbis aggrediar hominem.
Salvus sis, Philaute; numerâsti, uti spero, pecuniam:
Vin' tibi libellum? inspice: invenies quod verum est. *Porrigit libellum Tricong.*
Tric. Ha, à quo nempe hasce dicamus literas?
An fortè ex Anglia es? vel ex Gallia?
An de Polonia, ego jam dies complusculos

Legatos ex istis expectavi regionibus.

1. *Lict.* Imò ex Psittacorum regione omnes sutores vestiarii;

Nam alienâ semper superbiunt in pluma.

Sut. Ludos me facit; non ferendum est: vos modò

Videte nè in quæstione sitis. Quin mitte jocularia,

Atq; responde mihi, aut soluturum, aut non soluturum.

Tric. Si de hoste Hispano ago triumphos,

Aurifodinæ meæ Indicæ (si classem à butyratis

Hollandorum manibus ero defendendo)

Contra Turcarum Imperatorem, caput istud cucurbitinum

Copias mihi militares perpetuò suppeditaverint.

Sut. Nulla spes est de argento, de auro tam magnificè somniat.

Agite vos quæso; facite officium vestrum.

2. *Lict.* Factum videbis.

Sut. Obtorto collo istum in vinc'la rapite.

Tric. Hah, lepidé, lepidé, citó, citó.

Romam jam nunc visere totis sum in desideriis:

Ego sanctissimum istud Ecclesiæ caput, ad pedes descendat faxim meos.

Sut. Satìs basilicé.

SCENA III.

Endomuchus, Felicia.

End. MAne dum, precor.

Jam abiêrunt; nè time, nemo est.

Felicia mea,

Mehercle vix loquendi copiam ab osculis possum impetrare.

Fel. Endomuche mi, teneon' te? *End.* Tenes, mel meum.

Fel. At vix meipsam quidem, tantis sum in gaudiis.

Heu! vereor nè præ lætitia anima

Hujus domicilium relinquat corporis.

End. At ego (voluptas mea) sexcentis osculorum vocibus
In has pulchras ædes suas pulchriorem
Istam fugitivam revocabo iterum.

Fel. Sed, amabó, num hîc manere tutum est?
Concedamus longiusculè à Monasterio;
Metuo nè Monialium aliqua, ubi in cubiculo me non invenerit,
Per urbem sectetur, atque hîc me offendat in via.

End. Nolo metuas, dum habeo quod in hisce rubet venis,
Atque hunc gladium sodalem mihi— Sed quænam hæc mulier
Quæ hisce se foras penetravit ex ædibus?
Tricongionis equidem est uxor.

SCENA IIII.

Endomuchus, Felicia, Cotyttia, Luma.

Cot. EUge! si quis præ nimio potu ægrum habet caput,
A me medicamentum quærat: ità lepidè
Jam modò meum ego accepi virum.
Non temerè (opinor) pedem in œnopolium postea:
Nam ego verberibus feci, ad caput poculum haud tollat subitó.

End. Mulier, salve. Potin' tu nobis (quod paucæ soletis) præstare?

Cot. Quodnam isthuc? *End.* Silentium scilicet.

Cot. Si de pretio inter nos conveniet, nè dubites.

End. Papæ! de pretio non litigabimus; hem tibi: an satìs putas?

Cot. Mecastor apud lapidem aurum tuum locâsse crede.

End. At apud indicem nolo. *Cot.* At tu cedo quid velis.

End. In ædes tuas te nos clanculum recipere cupio,
Dum quædam prætereant, quæ nobis imminent pericula.
Cot. Dabitur opera; ſequimini. *End.* At, mulier, audi;
Ubi eſt maritus tuus? *Cot.* A marito nihil eſt quod metuas:
Utinam vel ſyllabam auderet iſte ſine imperio meo.
End. Eamus, mea vita. *Fel.* Lux mea, quocunquè juſſeris.
Prodit Luma. *Cot.* Sed quò tu Luma? *Lum.* Te quæſitum ſcilicet.
Cot. Nam quare ſodes? *Lum.* Quem tu tot modò oneráſti plagis,
Non eſt tuus Tricongio. *Cot.* Sanan' es?
Lum. I modò intró, & tuis crede oculis.
Cot. Sequimini me, quæſo, vos hoſpites; atq; omnem abjicite metum:
Ego ſpectrum hoc, mei viri quod latitat in veſtibus,
Exeunt Aut abigam, aut pro meritis accipiam.
Lum. Næ ego in lepidum incidi hoſpitium, ubi tam miræ fiunt præſtigiæ?
Neq; poſſum ego cogitando ſatis aſſequi quid hoc rei ſit,
Quídve Tricongione noſtro factum ſiet; niſi forſan alicubi dormit ebrius,
Atque hic peregrinus ſuffuratus eſt illi veſtes:
Quicquid eſt, ecce, Cotyttia illum abegit foras.
Ego verò me ſubducam intró.

SCENA V.

Philautus in veſte Tricongionis.

O--o--ohime-- ô latera, lumbos, brachia,--o--o
Hoccine eſt ebrium eſſe? veſtes perdidi, gladium etiam,
Servum, & meipſum denique. Heu! quàm dolet caput!

Et

Et manus nunc suum officium facere nequeunt--o-o--
Atque ut plenè miser siem; frater meus major,
Quem per hos decem dies sperabam mortuum, revixit, rediitque;
Et, cum amica sua, hujus mulieris nunc latet in ædibus;
Quæ me nescio quò perperam perplexo appellat nomine,
Atque maritum me vocat suum:at vel patrem,si lubeat, postea;
Nunquam tamen in domum istam pedem prorsus.
Quid me fiet? Pudet enim his squalidis vestimentis
In publicum prodire; atq; huc intrò redire piget magis.
Quid faciam incertus sum.

SCENA. VI.

Philautus, Sutor vestiarius, Lictores duo.

Sut. TU istam capesse viam, illam tu;
Ego hunc proximum invisam angiportum.
Sed quænam hæc humana pictura? Dii immortales!
Ipsus est, vestes mutavit nequam. Lictores,Lictores.
Phil. O Furce, optimè nunc ad salutem meam te video.
Sut. Imò ad perniciem potiùs. *Phil.* Nescis tu fortassis,
Quàm miseris modis hodie tractatus fuerim: viden' quàm pulchré?
Vestem mihi, obsecro, accommodes aliquam, si ad manum est:
Nam pudet me in conspectum ire patris hujusmodi.
Sut. Nihil opus, mihi crede; aliud tibi paratum est iter.
Bene: rideto me iterum, si volupe erit,
Et legatos ex Gallia expecta, vel ex Polonia,
Cùm libellum ostendo, atque meum repeto. Lictores, inquam.

1. *Lict.*

1. *Lict.* Quis nos revocat? *Sut.* Eccum captivum vestrum.

2. *Lict.* Ipse est; quàm dissimulat artifex!

Phil. Obsecro te. *Sut.* Verba mihi dari ampliùs nolo;
Neque potes, nè speres. *Phil.* Per Jovem intra biduum, ad minimum,
Tibi rescribere in animo erat.

Sut. Quorsum igitur hæc vestium mutatio? quorsum
Fuga hæc? responde. *Phil.* Egon' te ut fugiam?
Nusquam factum est à me, qui nisi jam te non vidi hodie.

Sut. Mortuo verba facis, Philaute.

Phil. Imò equidem tu penè mortuo.--o--o---

Sut. Rapite, inquam. 2. *Lict.* Si pedibus pollet iterum,
Causam haud dico, quin à me petas pecuniam.

Sut. Petam hercle veró. *Phil.* Ohime! quò me rapitis?
Obsecro, subvenite cives. 2. *Lict.* Ocyús, ocyús. Quem
Huc venientem video? fortasse in auxilium.

SCENA VII.

Eugenius solus.

QUis hìc civium implorat operam? Au; Lictores, nescio quem, ad carcerem corripiunt.
Sed quid hoc, Eugeni, quod te tam miris modis surripuit tibi?
Deorum pessime! quem cæcum vaniloqui fabulantur poetæ,
Nimis equidem in supplicium te perspicacem inveni meum;
Nam absque te esset, nunquam ego tam accuratè fuissem miser.
O Menandra! at--- quid at? Tu Eugeni
Amicum prodis tuum, atque nomen candidum.
Scelerum caput! ad ingenium redi: heu me!

Viam

Viam istam ab amore obstipatam video nimis.
Progredere quò cœpisti;
Nulla est enim redeundi facultas, aut spes relicta adeò.
Quid si sic---- Apage, non placet;
Hominem ingenuum ingenui decent mores, --neq;--
Facillimè non recedat amor, ubi tam mansit diu---.
Neque hoc--.Audivisti, cor meum; gratias habeo.
Ex cerebro, ô sine matre, Jovis:--- te enim invocabam tacitus:
Materiam habeo, at rudem adhuc & impolitam:
Quin age Eugeni, architectum te geras probum;---
Euge! maximum jam cadit secamentum illius ictu consilii---
Nunc perpendiculum applico. ---optimé.---
Jam penè conquadratum est quod volo.---
Omnia fabrè facta sunt, atq; eccum! per tempus venit.
In faciem nunc meam dolor & tristitia convocanda sunt
At perditum me!--- Personâ nil opus:
Nimis istarum artium simulator sum verus.

SCENA VIII.

Eugenius, Aurelius cantans.

VEnite parvi innocentes,
In nummis quorum non sunt mentes,
Ridendo dies hic uratur,
Clamore domus impleatur:
Qui hoc contradicit
A flumine licet
Potare, dum vino nos natamus,
Et carmine læto
Poculóque repleto
Cadentem Solem morti damus.

Eug. Hilaris es; Dii bene vortant: *haud equidem invideo.*

Aur. At quid non istud quod sequitur addas etiam?

Mitor

Miror magis? Sed nè mirare, mi Eugeni,
Hic dies mihi verè est natalis;
Jam nunc primùm incipio vivere. *Eug*. Cur tu cantas ergó?
Isthoc tempore ploramus plerique omnes, si obstetricibus fides.
Aur. Obstetricibus? commessatrices, placentarum pernicies,
Nihil sciunt, neque audiunt. Venter non habet aures.
Quid tu tristis, amabò te?
Tristis es, & felix? sciat hoc Fortuna, caveto:
Ingratum dicet te (male) si scierit.
Eug. Quòd aliter tibi evenit gaudeo.
Aur. Nostin' tu posticum vestrum aliquando in ædes spectans Ludovici,
Quod olim pater tuus clavis majusculis obserari jussit?
Eug. Quid de eo? *Aur*. Ad lepidum istud posticulum
Meam ego conveni Menandram modó.
Eug. Et quid illa? *Aur*. Quod pudica, quod ingenua,
Quod fidelis, quod denique virtutum omnium conspiratio---
Juravit centies, quòd si mecum vivere non possit, omnino vivere non velit,
Et mille subituram mortes potiùs quàm me deseret.
Eug. Actum est de me. *Aur*. Quid hæc sibi vult aversio,
Atque insolens ejus tristitia? non temerè est.
Eug. Occidisti me. *Aur*. Egon'? *Eug*. Non te volo, Fortunam innuo,
O Aureli!, nescis tu quàm opulenter hodie factus sim miser.
Hæc sibi. *Aur*. Nescio hercle: * at si id est quod suspicor,
Ego te miseriorem propediem, aut Stygio
Nautæ auctiores paulò reddam divitias.
Eug. Postquam pater tuus (ut mercator erat) bonorum

Et

Et vitæ naufragium fecit simul,
Ut semper tibi apud me bene fuerit, non te latere puto;
Nummum, vestimenta, victum (veniâ patris mei) feci,
Ut non opus erat tibi aliunde quærere;
Neque ut infimæ sortis virum, sed ut nobilem
Te tractavi semper, atque sodalem feci meum,
Quippe quòd hæc merita fuerunt tua.
Aur. In memoria habeo. *Eug*. Haud muto factum.
Aur. Gaudeo, atque gratias habeo. *Eug*. Non eò, Aureli mi,
Hoc dico, tibi ut beneficia exprobrarem mea,---sed--
Aur. Quin tu uno verbo igitur dic; Quid est quod me velis?
Eug. Aures arrige. *Aur*. Arrexi: hæret adhuc animus.
Eug. Patrem meum Confessorem (utcunque hoc te celavi) adibam modò;
Cujus in aurem omnia ego confessus sum peccata mea;
Quibus omnibus ab ipso (unico excepto) impetravi veniam;
Et id tantum fuisse prædicabat scelus,
Ut ab illo me absolvere non auderet:
Ego statim hominem oro, obtestor, obsecro;
Et sic ægrè tandem precibus atque pecuniâ
Victus, satisfactoriam hanc pœnam indixit mihi.
Aur. Quam sodes? *Eug*. Nimirum, ut Divæ Hallensi
Præsens præsenti salutem dicerem;
Octingentas præterea preces numerarem Dominicas,
Et totidem beatæ Virgini:
Atque nunc haud binæ mihi supersunt horulæ;
Quas tecum, cæterisque transigere licet familiaribus.
Aur. Hercle verò seriò, mi Eugeni, vicem doleo tuam.

Eug.

Eug. At dolebis, sat scio, magis, ubi quod reliquum
est audiveris.
Aur. Quid istud est? expedi. *Eug.* Vetuit insuper,
Nè gladium, aut aliud quodcunque telum
Per totos tres menses contrectarem quidem.
Aur. Ecquid restat ampliús? *Eug.* Imò quod pessimum;
Nactus occasionem hanc inimicus quidam meus,
Omnium quos unquam Sol vidit ignavissimus,
Literis me statim petit ad pugnam provocatoriis;
Horam etiam atq; locum designat, mensurámque gladii.
Aur. Deûm atque hominum odium! *Eug.* Nunc mi
Aureli,
Per amorem illum te atque amicitiam oro,
(Quæ incepta è parvis cum ætate accrevit simul)
Imò per Menandram te obtestor, ut
Honori meo prospectum velis, atque vice meâ
Abs isthac larva umbratili supplicium sumas.
Aur. Impetrâsti, atque abunde mihi
Tibique pœnarum dabit iste, nè dubites.
Eug. Salvus sum: successit commentum ex animi
sententia.
Aur. Quid túte verò tecum? *Eug.* Hercle quo pacto
possim exprimere,
Quantum de isthoc beneficio tibi debeam, meditabar.
Aur. Aufer mihi ista:
Enimvero triumpho seriò, oblatam esse tandem hanc
occasionem.
* *Hoc sibi* *Eug.* * At ego arreptam esse. *Aur.* --Ubi fidem tibi
datam liberem.
* *Hoc sibi* *Eug.* *Et ubi Menandrâ te emungam: ---Suavissime
Aureli.
Aur. Charissime Eugeni, eamus intró, ut adornemur; tu ad iter,
* *Hoc sibi* Ad pugnam ego. *Eug.* * In qua peribis basilicé,
Hæc si mihi fida fuerit dextra. *Aur.* Quid ais?

Eug.

Eug. Ut ex utriusque votis succedat, precor, quod suscepimus.

Aur. Pié, & amicé. *Eug*. Admodum. *Aur*. Eamus ergó.

Eug. Hem me pedisequum tibi---* mox perniciem. *Ad spectatores.

Finis actûs Tertii.



ACTUS QUARTI
SCENA I.

Endomuchus, Felicia, Cotyttia.

End. Atin' personati sumus? *Cotyt*. Supérque satis:
Sed quid ego? *End*. O formosa nimiúm:
Præter lepores à cunabulis comedisti
(Opinor) nihil.
Hem Spinturnicium, lepidum
Istum ornatum quàm dedecorat!
At tu, mea lux,
Quid agis? *Fel*. Quod cupio potissimúm,
In oculis tuis faciem ubi contemplor meam.
End. Jam si ad parentum aures pervenerit
Rediisse me, téque ex Monasterio aufugisse, satìs
Adeptitiis hisce munitos opinor vestibus.
Fel. Dii faxint, mea vita. *End*. Bene ominare modò, meæ deliciæ:
Mulier, vale. Atque fac memineris,
Hac de re quod scis, omnino nescias. *Cotyt*. Memorem mones.

SCENA

SCENA II.

Cotyttia, Moniales duæ.

Cot. BEne ambulate : Sed quò ego me jam veste hac ornatam lucidâ?
Mecastor quó, nisi ad lenam Lupam vicinam meam ?
Ubi ego cum alienis viris (clam stipitem meum) consuevi sæpiuscule.
Ibi (uti spero) unum vel alterum amicum inveniam,
Qui lepidam hanc vestem tractabit lepidiús:
At ego lepidissimam hanc faciem aëris adversus inclementiam
Muniam priús: sic, sic: at quid hoc? quid quæritant
Hoc Monialium par? Certè enim investigantibus circumspectant similes.
1. *Mon.* Soror, ô Soror. 2. *Mon.* Amabò, quid vis? *Cot.* Me etiam inspectant
Seduló: fortassis formam mirantur meam. 1. *Mon.* Hæc mulier
Quæ isthîc ambulat, éstne Felicia quam quærimus?
2. *Mon.* Mecastor ea videtur. *Cotyt.* Mirum ni Feliciæ in quæstione fient
Theophili filiæ, quæ è Monasterio ad me modó.
1. *Mon.* An dubium tibi est, eam esse hanc ? 2. *Mon.* Certè ea est planissimé:
Adeamus, & compellemus. Felicia, amabó, quid hæc à nobis fuga?
Cot. Ariola sum proba , me Feliciam esse autumant,
Quòd ejus ornamenta gero.
2. *Mon.* Quid hæc sibi quærit per urbem vagatio?
Secularia oportet oblivisci omnia,
Postquam mundo longum renunciâsti vale.
Cot. Ha, ha, he. Quid ego nunc respondeam , cogito; aut quid faciam.
1. *Mon.* Quid existimas, mea tu? 2. *Mon.* Perecastor

ecastor tam ea est quàm potis.

Cot. Quid si ego sub Feliciæ schemate in Monasterium me nunc deportari sinam?

1. *Mon.* Quid agimus? tam eam esse scio, quàm me loqui.

Cot. Mirus equidem jamdudum me affectus habuit
Monialium cognoscendi mores. 2. *Mon.* Quid cessamus intrò abripere,
Nisi sponte remigrârit? *Cot.* Ædepol sic erit.
At quo pacto indè me expediam? quid si ibi me detineant
Vel ingratiis? atque religiosam faciant?
Sed perpol duram istam inveniant provinciam scilicet.
Nónne linguam, dentes, & ungues habeo?
Horum ope & præsidio ultro dimittant faxo.

1. *Mon.* Ecce, invocata ad nos pergit.

Cot. Pudet me, charissimæ sorores, factíque pœnitet;
In proposito & promisso quòd non perstiterim meo.

2. *Mon.* Euge, mea Felicia. *Cot.* Et nihil jam
Magis quàm reverti in votis habeo.

1. *Mon.* Bona es, facísque adeò quod te decet; nimirum Antistita
Nostra Margareta in mandatis dedit nuperrimè,
Ut pompâ solenni in nostram reciperereris ordinem.

Cot. Ordinem? quæ me in ordinem, ego illam---
Ducite. *Exeunt*

SCENA III.

Ludovicus, Menandra.

Lud. SEd quæ hæ fœminæ?
Optimè veró. Nunquam ego, Menandra, mandavi tibi,
Nihili istum homuncionem, mendicum, & inopem,
(Aurelium volo) ex animo prorsus exterminares tuo?
Sed cœlites me infelicitent omnes, nisi pœnas mihi dederis,

Pervicax & ſtomachoſa fœmina. (ſunt adeó.
Men. Haud iſta te decent verba, neque me digna
Lud. Hui. At ego te ſcire volo,
Penes teipſam non eſſe te, ſed juris mei.
Maritum petis; ego providero; tu alia cura;
Non opus eſt hac in re operâ aut conſilio tuo.
Men. Imò hoc ad me pertinet, neque unquam me nuptum dari
Sinam, niſi cui bene volo, quíque mihi cordi eſt.
Canos tu tot capillos habes, & ignoras
Quàm odioſæ Diiſq; hominibúſq; coactæ ſint nuptiæ ?
Sed avaritia rationis oculos extinxit tibi.
Lud. O audaciam! nónne frater meus, idémq; pater tuus
Meæ ſolius curæ te credidit & cuſtodiæ?
Men. Credidit, fateor: at non eò (utì autumo)
Quò me odio meo connubio jungeres.
Lud. Oh! per umbram Ptolemæi, quod mulier non vult,
Id velit cogere, Herculeus eſt labor. Audîſti ſæpius;
Obtempera nunc, ſi ſapis, non invalidis argumentis meis.
Men. Argumentis? *Lud.* Oh! per umbram Ptolemæi,
Quanta hæc protervia? fáſne mihi loqui ?
Eóne Pater ædes, agros, nummóſque reliquit tibi,
Ut hominé vaniloquum & nugivendulum iſtis aleres?
Men. In quem, obſecro, virus hoc tuum evomis ?
Lud. In quem, niſi in Aurelium tuum? per Zodiacum,
Mirari nequeo ſatis, quid ſit tandem, quamobrem
Illum deperires. Neque edit, neque potat adeò,
Sed nec veſtitur de ſuo: omnia hæc
Eugenio debet, aliiſque malè feriatis adoleſcentulis,
Quos ille patronos ſalutat ſuos, & nihili
Demulcet verſiculis, quorum nomine Poeta
(Si diis placet) cluet. Poeta? per Zodiacum,
Hominum mendicabula ſunt Poetæ omnes, peſtéſque adoleſcentiæ.
Sapi-

Sapienter itaque meus Plato eos è Republica exterminavit sua.

Men. Est tibi lingua veneno tincta, neque me (mihi crede) latet,
Quorsum hæc tendant omnia. At esto;
Non me, sed te hæredem voluit pater, quantum audio.
Morbo me & carnificinæ devoves? Nunquam efficies
Quin ego, quem amo, quémque expetisso unicè,
Illi nubam, haud ditior licèt jam nunc esset,
Quàm ubi primùm hanc lacrymans salutavit lucem.

Lud. O spica virginis!

Men. Ad quid enim divitiæ valent, virtus nisi adsit atque probitas?

Lud. At ubi gentium est ista quam narras virtus atq; probitas?

Men. Ubi, rogas? ab illis tu quoniam abhorres, omnes pariter abhorrere putas.

Lud. O Planetarum odium! maledicit patruo.

Men. Nihil minùs, patrue:
Indignis si maledicitur, maledictum est meo quidem animo;
Dignis si maledicitur, benedictum id esse duco.

Lud. Eia! per Archimedis cineres, non feram, non feram, mala merx;
Abscede à foribus, abscede ocyùs à foribus, & ad cœlestem,
Ad scelestum potiùs amatorem te recipe postea;
Experire subin ingenio si posset suo ventrem alere:
Lapidin' loquor? Quin moveas satius est:
Enimvero mihi si deorum senatus supplex foret,
Haud exoraret, te ut agnoscam in posterum.

Men. Perplaces jam tandem, optime Patrue;
Gratissimus, si quà aliàs, hic sermo tuus:
Fortunæ non usquè adeò adhæreo, quin vitam inopem (si necesse fuerit)
Meo cum Aurelio animo lubenti possim agere:

Tu interea loci vale, tuâque insaniâ fruere,
Cum umbra tui Ptolemæi, & Zodiacis.
Lud. O meæ Ephemerides, Ephemerides meæ!
Sed eccum opportunè Euphuem cum Gorgonio.

SCENA IIII.

Ludovicus, Menandra, Euphues, Gorgonius.

Euph. Contolle gradum, mi discipule, atq; sequere.
Optime Ludovice, salve plurimùm.
Men. Infelix Menandra! quid nunc primùm facies?
Lud. O optatissimi, optatissimi, salvete & vos ambo pariter.
Men. Sic erit, introibo, méque ad fugam adornabo & exilium.
Lud. Eho Menandra, Menandra, inquam; arbitrarin' tu seriò
Hæc dixisse me? falsi es animi: enimvero joco omnia:
Neq; unquam mihi in animo erat insigni adeò injuriâ
Te afficere. *Men.* Nihil agis; haud crederem,
Per umbram licèt Ptolemæi tui adjurares.
Lud. Ludis etiam? obsecro verò te, mea tu.
Men. Non, si senatus deorum mihi supplex foret.
Mitte manum, pish. *Gorg.* Magister, magister,
Vin' incipiam cum mira majestate, vel cum sententia
De Heliotropio? *Men.* Amabò, quid me retines?
Euph. Cum ista potiùs de Heliotropio, si fortè memineris.
Gorg. Viridissima virginum ---- *Men.* Heu me!
Puros putos loquitur lapides. *Gorg.* Viridissima (inquam) virginum---
Men. Stolidissime (inquam) hominum,
I domum, & medicum accerse tibi, si sapis,
Qui cerebrum Helleboro excantet tuum:
Hercle verò opus est. *Lud.* Menandra, tibi dico, redi.
Exit Menand. *Men.* Imò tute ad te, Ptolemæi umbra. *Lud.* Phy, phy, phy,

Factum

Factum pesſimé, peſsimè hercle factum. Phy.
Ego jam cum aceto, imò abſque aceto, ſi adeſſet,
Caput ejus manderem; tantum mihi bilis atq; ſtomachi
Commovit hæc fœminarum pervicaciſsima.

Gorg. Piſh, abeat ſi placet, ego illam nihil moror;
Proximè cùm viridiſsimam virginum ſalutavero,
Non ſic me ludibrio habebit, & deſpicatui.

Euph. Quid ex te audio, diſcipule? quoties ego dixi tibi,
Quòd non uno conſtructa fuit Roma die?
Quòd non uno Achillis arma fabricata ictu?
Quòd pictor Nicomachus in effigianda Venere
Quatuor conſumpſit annos integros?
Minimé, minimé, Gorgoni; qui cum Hippomene
Metam primò vult attingere, cum Hippomene
Pernicem oportet currere. *Lud*. Haud ædepol unquam veriùs
Ipſe Tychobrahe: vos verò operam veſtram
Mihi date ſodes; eò nunc anguſtiarum adacti ſumus,
Ut dolo nunc aggrediamur neceſſe eſt, atque aſtutiâ.

Gorg. Ego dolos omnes odi, atque aſtutias.

Euph. S't, tace. *Lud*. Quid ſi Menandram in ejus cubiculum
Concludi jubeam? ha? *Gorg*. Siquidem me cum Menandra
Concludas unà---. *Euph*. Non taces? *Lud*. Ut quid factum ſit foris,
Illa omnino neſciat. *Euph*. Quid tum porró?

Lud. Atque nos interea nuptias ſimulemus; apparatum denique
Inſtruamus omnem, atque fidicines, quaſi veræ ſient.
Aderit hîc ſtatim lepidus amator ejus,
Qui, unà cùm Eugenio ſocio ſuo, os mihi
Sublinere, atque virginem ex ædibus meis eripere
Paritant: at næ illi fruſtra ſudant.
Quid ais, mi future cognate? ecquid hoc commentum placet?

Gorg. Commentum vocas? si non dolum ſapit atque aſtutiam,
Placet commentum tuum.
Lud. Euge, quid tu autem Euphues? *Euph.* Parrhaſius
Effigiem facturus Helenæ, redimiculum ejus
Solutum expreſſit; & interrogatus ---
Lud. Quid ais? ubi animus tuus? *Euph.* Au, exordium
Cujuſdam epiſtolæ meditabar meæ. Quid vis?
Lud. Ecquid laudas commentum meum? *Euph.* Laudo enimvero---
Quid eſt, obſecro? *Gorg.* Annon audiſti, magiſter?
Amas pol, opinor. *Lud.* Sequimini me intus.
Exeunt. Eccum enim Aurelium rivalem tuum!

SCENA V.

Aurelius; Eugenius, quaſi peregrè iturus.

Aur. SI obfirmata ſtat animi ſententia, mi Eugeni, vale.
Eug. Aureli, bene vale; at horæ fac memineris, atque loci,
Siquidem enſis hoſtilis menſuram tenes.
Jam, de te ſi unquam bene merui, ſartum tectum vide
Conſerves honorem meum. *Aur.* Niſi hæc omnia ---
Eug. Sat habeo.
Vale. O Cupido, quantus es? te furente Pylades Oreſtem odit;
Niſus Euryalo inſidias ſtruit--Amice, ſemel ſalve, atq; vale.
Exeunt. *Aur.* Meherclc lacrymas propemodum excuſſit mihi.

SCENA VI.

Aurelius, Ludovicus in porta, Tittus puer ejus.

Lud. QUando furcifer? quando? *Puer.* Quid (malùm) alas habere me putas?

Ità

Ità non venire, sed volare jubes. *Lud.* Festina, inquam, verbero.

Aur. Hoc quid sit, quod servum festinare tam validè
Edicit isthoc silicernium? *Lud.* Dii faxint, hodiernus labor
Nè tibi ærumnam fortè creet seni. *Puer.* Jámne abeo?

Lud. Quando tibi placuerit, domine. *Pu.* Pol essem utinam.
Extemplo te servum facerem miserrimum.
Sed jam, utì mandatum est, volo; quanquam ubi cogito----

Aur. Ex putrida hac aqua expiscabor nunc ego
Quid sit hoc negotî. *Pu.* Admodum subitæ sunt hæ nuptiæ:
Sed quid refert meâ? ego quò missus properabo. *Aur.* Manta paululúm.
Quò te tam celeri pede, adolescens? *Pu.* Tuâ quid id refert,
Adulte! mitte me, si sapis, aut ego tibi mittam infortunium
Celere & solidum. *Aur.* Tam sævus? obsecro te.

Pu. Nolo obsecres: aufer mihi blandimenta, nihili facio.

Aur. Vel tantillum mane.

Pu. Quantillum illud? pish, per Deos omnes & singulos,
(Audin'?) mihi si pergis moram injicere, caput diminuam pulchrè tibi,
Si modò dentur lapides in rerum natura. (audio;

Aur. Ab hoc puero cavendum est mihi, ut verba
Ità athleticè minitatur. Quid tu tam iracundus, sodes?

Pu. Iracundus? falleris, mi homo; Ego sum iratus. Iracundus? Ha, ha, he;
Non, non, ego sum infensus. *Aur.* Non taces, ineptule?

Pu. Oh! vin' taceam, atque tibi per signa respondeam? agé.

Aur. Quò tu, inquam, missus? * *Puer digitis indicat.*
Aur. Quid hoc? quó, inquam, aut quamobrem missus? * *Puer digitis indicat se missum fidicines accersitū.*
Aur. Scelus pueri! ludis me, nec respondes? quoties te vis rogem?
Unde aut quò missus? * *Puer indicat per signa iterum.*
Aur. Deûm atque hominum! Loquere, aut in æternum faxim taceas.
Pu. Obsecro: non me tacere jussisti dudum?
Vin' simul taceam atque respondeam?
Hoc heri mei Ludovici artem superat,
Qui cum omnibus suis Ptolemæi umbris, Platonis
Rebuspublicis, & Zodiacis nunquam quivit efficere,
Ut quis loquatur simul atque taceat.
Aur. Nequam es; * quid si adblandirer? sic erit. * *Hoc sibi*
Deliciæ pueri, hem tibi drachmam! expedi modò
Quid rerum in istis geratur ædibus.
Pu. Videam, videam; oculatæ sunt nostræ manus,
Credunt quod vident. *Aur*. Et videbis &
Contrectabis etiam, dic modò quod te rogo.
Quid ais? *Pu*. Quid aio? ego scio quod aio:
Isthanc si mihi dederis drachmam, dicam tibi.
Aur. Quid autem dices? *Pu* Ego scio quid dixero.
Aur. Malus es; non credes mihi? *Pu*. Quippini?
Cui nemo mortalium vel unum credet obolum.
Aur. Quàm Delphicè spirat verbero! habe tibi.
Jam effari potes? *Pu*. Non opus est.
Rem omnem nostram accepisti, sat scio, tametsi dissimulas.
Aur. Rem omnem nostram accepisti, sat scio, neque dissimulo. (scelus.
Sed loquere semel. *Pu*. Ludis me. *Aur*. Imò tu me,
Pu. Quid? nónne tu vocatus? *Aur*. Ad quid, obsecro?
Pu. Ad cœnam scilicet: hai, quàm hilares erimus
Cantando, saltando, potando! dispeream,
Nisi cantharos nostros tractem probé;

O lepidas nuptias! *Aur.* Quas tu mihi nuptias narras?
Pu. Lepidas, inquam, felices, hilares. O Gorgoni, ni te perditè amem----
Vide sis ligulam, quam mihi dedit sponsus Gorgonius:
Serica est; tange modò. *Aur.* Gorgonius? nam cui nubet is, obsecro?
Pu. Cui, rogas? nunc iterum dissimulas. Cui, nisi Menandræ nostræ?
Aur. Quid ego audio? *Pu.* Vale, vale; ego abeo.
Aur. At mane; éstne Menandra futura sponsa hodie?
Pu. Tu nescis? *Aur.* Enecas, dic quod te rogo; pro certon' habes?
Pu. Túne & ego vivimus, ambulamus, confabulamur simul?
Aur. Quid tum? *Pu.* Tam certum est Gorgonium Menandram
In uxorem ducturum statim. *Aur.* Statim.
Pu. Statim: si per te liceat fidicines accersere.
Aur. Fidicines! túne fidicines accersis? *Pu.* Rogas etiam?
Nónne hoc tibi per signa indicavi modó?
Aur. Audin' veró? dic serió. *Pu.* Vah, vin' dicam rursus?
Placent tibi quæ dixi, sat scio; audire gestis toties.
In tuam ergò gratiam repetam. Advortas modò animum.
Hodie peragentur nuptiæ Menandram inter & Gorgonium.
Audin'? atque ego puer Ludovici accersitum eo fidicines. Audin'?
Jámne ire licet? *Aur.* Priùs non abibis quàm verum dixeris.
Pu. Pol nisi sinas, ego heri mei lapidem accersam invisibilem,
Et tum ibo tuis vel ingratiis. Jámne mittis? *Exit.*

SCENA

SCENA VII.

Aurelius, Ludovicus in fenestra.

Aur. ABi ſis, maſtigia, quò dignus; neque verum, neque veriſimile dicis.
Menandra perfida? Tripodi hoc non crederem ſi pronunciâſſet Delphico. (tando aſſequi;
Sed quid hìc intus moliantur tamen, nequeo ſatìs cogi-
Tot dubia atq; mira verba mihi fecit hic Ludovici puer.
Quid ſi fores aggrediar? Conſilium placet.
Ecquis hìc mortalium vivit in ædibus?
Lud. Quis tu es mortalium, noſtras qui pultas fores?
Aur. Limen inter & januam tuam divortium volo.
Lud. Divortium? Ha,ha,he. Salvus ſum: ſicuti verba audio,
Veras has credit eſſe nuptias; divortium enim nominat.
Aur. Quis has pandit fores? *Lud.* An malum tibi pulſando quæritas,
Adoleſcens? *Aur.* Non te pulſando quærito, ſenex;
Optimam ego quæro virginem, virtutum domicilium,
Orbis delicias, Menandram convenire cupio.
Lud. Ha, ha, he. *Aur.* Quid jam?
Lud. Illa cum ſponſo ſeſe oblectat Gorgonio.
Sed quid tu hodie mihi moleſtus es, atque adeò convivis meis?
Quoties ego ædibus hiſce meis interdixi tibi, (tuam
Atque tibi uxorem mandavi quærites? ſtultitiam nunc
Atque amorem compendiface, niſi vis malum tibi
A marito ejus dari poſtea. Ha, ha, he.---
Eho Gorgoni, Euphues, ehodum ad me, citó, citó:
Videte, quæſo, ſtatum hominis. *Euph.* Ha, ha, he.
Gor. Ha, ha, he. *Lud.* Quàm placet hoc ſpectaculum!
Laqueos meditatur, ſcio. At vereor nè non ſatìs dives
Iſthoc qui pereat mortis genere. (ſiet
Jube illum, mi Gorgoni, præcipitium petat,

Si ad restim comparandum non sit pecunia.

Aur. Veræn' hæ fuêre voces, an per somnium accepi omnia?

Veræ? ah nimiùm veræ: nihil hîc somniorum uspiam:
Vigilem te, Aureli, senex vigil risu excepit & dicteriis;
Triumphat Gorgonius, tuis potitus amoribus.
——*Varium & mutabile semper*
Fœmina---- ô divinum oraculum!
Mixturam nimirum lepidam, quam nos ità miserè deperimus homunculi:
Cui, quàm Diis ipsis, litamus sæpius: oculos syderum
Insignimus nomine: Genæ (si Diis placet) rosis æmulæ atque liliis:
Labia, cerasa: crines, catenæ aureæ: manus, calida nix,
Molle ebur: sagittæ Cupidinis, digiti.
Superos, inferos! quàm pulchrè hæc virum decent!
Sed quid moror? quin hunc fugiam locum in perpetuum,
Et plagam adeò omnem ubicunq; fœmina fixit pedem. **Exit.**

Lud. Ha, ha, he. Commento hoc ipse mihi videor planè rejuvenescere.

Ha, ha, he. --*Varium & mutabile semper Fœmina*--
Et plagam omnem ubicunque fœmina fixit pedem---
Ha, ha, he.
Eat nunc, & meum rideat lapidem invisibilem.
Sed quis hîc? pendeam, nisi unus è Patronis ejus,
Quem is misit invisere quam rem agamus.
Quicquid est, ego me intus, & occludam fores. **Exit.**

SCENA VIII.

Tricongio solus.

HOc si sit splendidè vestiri, & generosorum more vivere;
Sim ego sanè Tricongio semper in posterum.
Atque equidem Tricongio sum, jam sat scio, vestes hæ licèt

Alie-

Alienum me à meipso fecerint hodie. At ego pulchrè gratiam
Referam; istas à me alienas vicissim faciam; etenim
E vestigio vendam, emptorem quamprimum conveniam.
Miretur posthac vulgus (per me licet) pretiosas vestes atque nitidas;
Ego meo malo didici satius esse mediocriter vestirier:
Minimum quidem abfuerat, quin hæ vestes me hodie in carcerem compegissent.
Ægrè sutorem effugeram vestiarium: Quin ecce, calcearius
Me revocat; atque, Philaute, inquit, est mihi opus præsenti pecuniâ;
Scis etiam quoties me frustratus sis. Nondum ille finierat,
Quin pallio me prehendit caligarius: atque paucis, inquit, te,
Magister Philaute, volo, nisi tibi molestum siet.
Elapsus est jamdudum dies, ex quo nomen è tabulis
Tuum expediturum pollicitus; nôsti etiam probè
Me non omnium esse flagitatorum molestissimum.
Hujus dum excrucior eloquentiâ, eccum togatum pannarium,
Qui eandem quoque canit cantilenam; sed sævior multò cæteris;
Diem is mihi dicit. Ego, inquit, promissa tua nihil moror;
Aut mihi redde meum, aut— Tu conjicito cætera.
Quid multis? hos subsequuntur myropolæ,
Pharmacopolæ, pætivenduli; rogant hi, (stibus,
Flagitant illi, quasi thesaurus in his absconderetur ve-
Ubi nè argenti quidem libellam reperire queo.
Ego, ubi nec in manibus nec in lingua auxilii quid esse perspicio,
Pedibus salutem quæro. Sed quid si altera ingrueret tempestas?

Feli-

Feliciter quidem isthuc tibi in mentẽ venit, Tricongio.
Proin optimum est, ut vela contraham:
* Tu linteum capitale descende, descende, nihil audio; *Ponit galerum,*
Ægrè sat scio, à capite divelleris; descende veró.
Etiam * tu, quæ tam humaniter tractantibus operam præbuisti tuam: (tui, *Penulã,*
* Tu etiam, Domini vindex bellissime, atq; protector *Gladiũ,*
Qui tam lepidè hodie tot crabrones irritâsti mihi, vale.
Ego ad Cotyttiam meam nudus redibo potiùs,
Quàm irato creditorum pelago tenuem hanc iterum committam ratem.
Apagite à me, splendidę vestes omnes, apagite in malam crucem.
Ecce autem annulum, neque prævideram; quid tu hîc pendes ineptule? *Annulum alloquitur ad pectus pendentem*
Ego pol locum lepidiorem inveniam tibi.
Sanctuarium capesse, capesse, inquam, sanctuarium:
Ego nunc jam stomachi virtute struthiocamelum antebibo mei:
Ille siquidem ferrum tantùm concoquere valeat,
At ego metallum solidius oppidó:
Annulum hunc etenim quamprimum aurum faciam potabile.
Atque hem opportunè emptorem (utì spero) mihi!

SCENA IX.

Tricongio, Tabellarius.

Tab. UT ego oculis rationem capio, non procul sum à Tricongionis ædibus.
Tric. Ha! me quærit hic homo, quantum audio:
In malam rem; Tabellarius est, qui è portu literas quotidie.
Heus tabellarie, ecquas ad me habes literas?
Tab. Nam quis tu es, si Diis placet? *Tric.* Quem tu nominâsti modó; Tricongio.

Tab.

Tab. Tricongio? quantum mutatus! quid tibi, quæso, in istis debetur vestibus?

Tric. Debetur, rogas? ulcus jam tangis; nam ego ex lictorum ungulis

Nuperrimè jam elapsus sum. *Tab.* Quid velis non intelligo;

Sed hem tibi literas! *Tric.* A quo verò?

Legit Tricongio.

Tab. Tute hinc narrato tibi. *Tric.* Mane dum perlegero.

Tab. Non est quòd moneas; nam ego mercedem expecto.

Tric. Lepidas ædepol literas, quas nostro etiam mox communicabo sodalitio;

Sed ad lenam Lupam me conferam priús: nam, nè quid dissimulem,

Nescio quid insolitum in hisce sentio vestibus, quod me isthuc rapit.

Sic erit per Jovem: Lupa (sat scio) quamprimum conspexerit

Vestes, atque annulum, lepidæ alicujus puellæ mihi copiam faciet,

Quâcum me oblectem. Tabellarie, vale.

Tab. Vale? istoccine verbum satis esse mercedis putas?

Tric. Vah! insipiens, quasi nos non norimus nos inter nos.

Proximo die Martis rescribam; literas tum tu accerse meas,

Exit Tricong.

Et duplam mercedem accipies. Credes? *Tab.* Bene ambulato.

Ædepol est hic Tricongio homo perpaucorum hominum;

Prodit Corytia.

Tristem nunquam videas, uxor nisi adsit ejus.

Sed quænam illæc avis, quam è Monasterio exeuntem video?

Bella perpol; quàm vellem, per negotia liceret, adire

Et

Et colloqui! Sed properandum est alió. *Exit Tabellarius.*

Cot. Haud ædepol Sibyllæ folium verius, quàm ego modó.
Ha, ha, he. Lepidè quidem & fervidè religiosam
Me invenêre candidæ Sorores meæ ; nam ad preces, &
Aquam benedictam meâ deventum est operâ. *Prodit Lupa.*
Sed éstne hæc Lupa vicina mea ?

Lup. Ha, ha, he. Jam si Cotyttiam conveniam---

Cot. Ipsa est, atq; me quærit. Lupa. *Lup.* Quis me?

Cot. Cotyttiam si vis, gradum siste: Ego isti labori finem imponam tuo.

Lup. Dii me ! quid istas tu vestes ? *Cot.* Au, dicam postea; Ha, ha, he.
Potin' tu conjicere ubi ego fuerim modó? *Lup.* Domi fortassis.

Cot. Domi? imò ex Monasterio hoc jam nunc venio-

Lup. Nam quid tu in isto sancto loco, si Diis placet?

Cot. Ubi tam miras & sacrosanctas vidi ineptias,
Ut vel virginem Amstelodamensem, si videret, in illarum cogant ordinem.
Primùm me *novæ sponsæ* salutant nomine,
Atque cæremoniis nescio quibus, & choro religioso
Me ad Antistitam ducunt suam. Atque illa, Mea filia, inquit,
Tu fortè, quia à mundo abalienatur vita nostra,
A mundi deliciis alienam omnino putas, insipiens:
At bono es animo; hìc oblectamenta invenies,
Quæ nobis vel invideat seculum : atque ideo à profanis vulgi
Semovemus oculis--- Quid opus verbis? Inter virgines
Non omnia virginea. Ego, ubi illarum moribus plena sim,
Tantum linguâ meâ cieo turbinem, ut novam sponsam suam
Dimittant ultro , & ad tempestatem istam componen-(dam
Fratrem statim accersant Nicolaum, Neptunum quem

Tam

Tam præſentem habent, ut manifeſtaria res ſit,
Non procul illum ab alicujus illarum latitâſſe cubiculo.

Lup. Lepida mecaſtor fabula : at ſinas, obſecro, aliam tibi narrem hiſtoriam,
Hac tuâ haud multò infeſtiviorem. Tricongio tuus jam apud me eſt,
Neſcio quibus nitidis veſtibus ornatus; atque is manibus pedibúſque
Scortum quærit. *Cot.* O verbero,duc me ad illum,obſecro.

Lup. At mane dum reliquum audiveris: Neque puella jam mediocriter
Formoſa, ſed nec ornata adeò illi placeat.

Cot. O mea Lupa, diutius te loqui non ſinam;
Verba dum facimus, res perit noſtra.

Lup. Nimis præpropera es : ego te huc quæſitum veni, quò ludos
Illum faciamus; auſcultes ergò, tu mecum ibis.
An ille has novit veſtes, quas tu geris?

Cot. Nihil minús, mea Lupa; neque quomodo ego iſtas nacta ſim.

Lup. Optimé;te ergò in hoc velo ad illum deducam, tanquam
Modeſtam, & tyronem in arte meretricia.

Cot. Tyronem dicis? inveniet me peritam plùs ſatís.


Lup. At vide nè teipſam prodas. *Cot.* Simulabo, nè dubites, graphicé.

Lup. Velo faciem uſquè obduces; hoc enim modeſtiæ dicam eſſe tuæ.

Exeunt. *Cot.* Ha,ha,he. Commentum feſtiviſſimum. Eamus.

Finis Actûs quarti.

ACTUS



ACTUS QUINTI
SCENA I.

Leonhardus senex; Dippus ejus servus, & Rusanus; Tittus Ludovici puer.

Leon. Eu! omnes in alienis miseriis quàm iniqui sumus judices!
Nobis ubi semel Fortuna reflet, tum demum
Aliorum reâpse miseremur sortem. Tu ad Philautum filium
Minorem (ah! quid dixi? minorem? heu! vereor unicum)
Ad Philautum, inquam, quem in carcerem conjectum audio,
Argentum hoc defer, unde se captum redimat. *Exit Rusanus.*
Sed nihil tu quicquam adhuc de Endomucho?
Dip. Prorsus nihil. *Leon.* Ah! capital fecisti, Dippe.
Dip. Quamobrem, obsecro? *Leon.* Quia herum tuum de te
Semper merentem optimè, isthoc enecâsti verbo, Nihil prorsus.
Dip. Dii meliora. *Leon.* At ignosco tibi humanè factum; nimiùm
Jam multa perpessus sum mala, quæ vitæ me
Jamdudum saturârunt meæ; lubens deinceps morior.
Dip. At obsecro, here, animum nè despondeas.
Leon. Ah! nullum habeo quem despondeam;
Filium perdidi, & cum filio animum simul.
Dip. At here, si per te liceat, consilium tibi dedero,
In rem quod erit tuam. *Leon.* Ah! omne nunc consilium serum;

Noli operam perdere: Ipsa si Salus cum Diis cæteris,
Qui rebus humanis favent maximé, senatum convocarent consiliarium, (pe.
Haud servare queant: periit filius; & ego unà perii, Dip-
Dip. At dicam sine. *Leon.* Siquidem molestum esse certum sit tibi,
Expedi.
Dip. Nunquámne Ludovici nomen, here, auditum tibi?
Leon. Nescio; certè non novi hominem. *Dip.* Non? mirum est:
Eum siquidem omnium, qui vivunt, Astrologorum principem
Pervulgavit fama. *Leon.* Fama sæpe mendax; porrò autem.
Dip. Ille, ubi ubi sit Endomuchus, sive apud superos, sive inferos,
Quóque pacto perierit, te certiorem faciet illico.
Leon. Oh! si vera memorares mihi, quicquid me fieret, adirem præpes.
Dip. S't, here, here, eccum ipsum Ludovici puerum.
Prodit Titus. *Tit.* In malam rem fidicines omnes: totam fermè emensus sum urbem, sudans
Et anhelans in eorum quæstione, neque uspiam invenio tamen.
Sed eccos quos perconter. *Dip.* Here, compellato priusquam abeat.
Leon. Heus puer, potin' tu nobis cum hero tuo colloquendi copiam facere?
Tit. Heus senex, potin' tu mihi fidicines conveniendi copiam facere?
Leon. Aufer, si me ames, ridicularia;
Neque ludos, neque ludibria casus nostri ferunt.
Dip. Patiare here; nequam est hic puer, sed hero suo maximè in deliciis.
Leon. Dic mihi sodes, intúsne herus tuus? *Tit.* Oh! intimus; sed mihi,

Non

Non tibi, quiſquis es. *Dip.* Obſecro, Titte mi, mitte jocos.

Tit. Oh! Dippe mi, túne hîc eras? hiccine ſenex herus tuus?

Dip. Eſt, & herum tuum conventum cupit.

Tit. Heus ſenex, dic ſerió, túne herum meum conventum cupis?

Leon. Dixi, puer; odio mihi ſunt ambages hæ;
Aut ſemel dic, aut ſemper tace. O Endomuche!

Tit. Dippe mi, quid triſtis adeò eſt herus tuus? num quid illi accidit infortunii?

Dip. Maximum, Titte; Filium perdidit quem amavit unicé.

Tit. Et ego fidicines, quos quæſivi ſeduló.

Leon. Scelus pueri, nil tibi canities hæc, nil ſors acerba curæ?

Dip. Sine te exorem, Titte mi. *Tit.* Quid exoratum vis, Dippe mi?

Dip. Herus ut quamprimum commonſtres ubi ſit tuus.

Tit. Commonſtrem, fatue? commonſtrem? quaſi te fugeret,
Herum meum eſſe inviſibilem? lapidem in ore geſtat, aſine,
Quo inviſibilis ambulat. *Leon.* Pergin' moleſtus eſſe?

Tit. Certè vos eſtis mihi. Sed eho ſenex, tu filium quæris?

Leon. Tenes. *Tit.* Et ego fidicines,--- verùm ſi herum vis meum,
Hem tibi ædes. Dippe mi, vale, & valetudinem heri tui
Cura diligenter. *Leon.* Abiit furcifer?
Næ tu ſervus frugi es, qui hujuſmodi tibi ſodales cogis.

Dip. Here, eccum ipſum Ludovicum.

SCENA II.

Leonhardus, Dippus, Ludovicus.

Lud. SAtin' ego ſum infelix, cui nihil quod ago ſuccedit proſperé?
Ità pervicax iſta virguncula contumaciâ ſuâ
Mea conturbavit conſilia. ſimulavi modò nuptias, ratus
Amatorem hoc modo divelli potuiſſe facillimé; has Aurelius
Eouſq; pro veris habet, ut penè inſaniat invidus;
Hanc rem omnem ubi reſcivit Menandra, contumeliis me ſtatim
Onerat indigniſſimis; atque è domo ſeſe proripiens ſubitò,
Amatorem per urbem nunc quærit ſuum, illi ut renunciet
Haud veras eſſe has, quas mentitus, nuptias.
Leon. Senex, ſalve. *Lud*. Quis me ſalvere jubet?
Leon. Miſer. *Lud*. Ædepol (iſthuc utì nomen obtinet)
Eo tibimet ipſi magìs eſt opus, tu quod aliis impertis prodigus;
Atque ſi nihil aliud vis, ego te ſalvere pariter & valere jubeo.
Leon. Mane, precor; aliud eſt. *Lud*. Quin tu paucis expedi,
Si quid opus. *Leon*. Primùm omnium occidi.
Lud. Imò hoc potiùs poſtremum eſt omnium.
Sed quid id refert meâ, utrùm tu vel vivas, vel pereas?
Leon. Homo es, humani à te nihil alienum puta.
Lud. Haud puto equidem, ubi, dum aliis ſtudeo, meo non advorſor commodo.
Leon. Attende modó. Major meus filius, adoleſcens, ſi quis alius,
Ad ſumma natus, mihi periit nuperrimé;
Nam quid non periiſſe autumem, quem mortalium nemo eſt,

Qui

Qui per decem hos dies viderit uſpiam,
Aut quid de eo ſit factum indicare queat:
Ad te igitur unicum civitatis oraculum ſupplex venio,
Tuum imploro conſilium, artem atque operam expetiſſo tuam.

Lud. Um, bene. Quid me vis facere?

Leon. Nempe ut ex incerto dimittas certum, meo quid acciderit filio:
Ut, ſi vivat, locum teneam; ſin aliter (quod vereor,
Heu vereor nimis) mortis quo perierit genere, quâve manu.

Lud. Um, quo verò die tuas reliquit ædes primulúm?

Leon. Die Martis ad veſperam? *Lud.* Die Martis ad veſperam?
Infelix hercle dies, atque inauſpicata hora:
Quid illi nomen? *Leon.* Endomuchus.

Lud. Latet aliquid in hoc nomine. Quot annos natus?

Leon. Viginti & duos. *Lud.* Et duos? præſagiunt & iſti duo aliquid.

Leon. Jam ſi tu quid opitulari poſſis, aut velis adeó,
Clientem invenies te haud nactum, ingratus qui ſiet.

Lud. An nomen tuum licet percontarier, Domine?

Leon. Licet: Leonhardus vocor. *Lud.* Leonhardus? optimum
Ædepol nomen. Ego per aliquot annos, in iſtius nominis
Collegio operam dedi literis, & nunc (Diis gratias)
Ad iſtarum perveni apicem. At quâ parte urbis habitas, precor?

Leon. Juxta templum ad lævam Sancti Bartholomæi.

Lud. Sancti Bartholomæi? Sancti pol magni nominis:
Temporis aliquod, ad hoc negotium exigendum opus eſt.
Citra horam ad minimum apud te ero.

Interea vale, atque bonum animum habe.

Leon. At vide nè in expectatione sies. *Lud.* Nolo: potin' ut abeas?

Exeunt Leon. & Dip.

SCENA III.

Ludovicus solus.

ABierunt? certè aliqua est felicitas, res ubi deest,
Vel umbram saltem retinere scientiæ,
Atque doctum haberi, ubi doctum esse non licet.
Quid de illius factum sit porcello, juxtà cum Anthonio
Porcorum divo scio.
Sed nominis mihi causâ comminiscendum est aliquid--
Gratias tibi, gratias, canum caput;
Meritò quidem tibi pendeant argenteæ comæ:
Nos senes nihil scimus, nihil revera: insipidi sumus,
Stolidi, insulsi. At ego te, adolescens, qui
Me tam lepidè in riscum reposuisti modó,
Atque cognatam tam acriter ambis meam,
Stultum, insanum, vecordem efficiam hodie.
Ad hunc enim Leonhardum quamprimum per posticum corripiam viam,
Et filium ejus clanculum ab Aurelio
Fuisse interemptum dicam confidènter satis,
Atque hujus facinoris testes Euphuem & Gorgonium adducam uná;
Quod factum dabunt, sat scio, illius odio, & persuasu impulsi meo.
Dii me; nisi ego te, subsannator, ulciscar probé.
Atque eccum! Ha, ha, he! *Exit.*

SCENA IIII.

Aurelius solus.

ISthæc prostibula est stella, atque illæc, atque hæc revera.

Hui!

Hui! quàm lucet Ariadnes corona!
Ἰδὲ ἣ καὶ τὴν Ἰκαρίου τοῦ γεωργοῦ θυγατέρα,
Καὶ ὁ πάντων γελοιότατον τὸ κυνίδιον αὐτῆς·
Nè tristitiâ (puto) afficeretur puella,
Si in cœlo catellam non haberet suam.
Non est cœlum quod video, sed lupanarium;
Tam undique refertum est meretricibus. Euge Juno,
Deam te vindicâsti in ista septentrionali bellua:
Sed quid hoc, aut unde? ædepol mortalitatem haud sonat; *Musica sonat in Lupæ ædibus.*
---Angelicé:cedo mihi senem,capularem,Acherunticũ,
Ultra Medeam, herbarúmque virtutes---hoc tantùm audiat---
--istud--vel Nestoris, absque hernia,numerabit annos.
Divine senex! auritus tu-- Qui non est Pythagorista,
Illum genuit ignorantia, atque error nutriit.--
Quàm athletice laborat Saturnus! Quis unquam
Putâsset algentem istum tantum potesse nebulonem?
---Optimé--Gradive Pater: tu Doricè omnia--
Malè peream, nisi te medullitus, Merçuri---
Quàm lucidum isthuc intervallum! nimiùm
Jam vellem aures totus fiam.
Cœlestium habitacula! plures (puto) variant modulos,
Quàm sunt scrupula in circulo obliquo.
At nihil usquè adhuc de Jove audio; fortassè dormit ille,
Vel cum pocillatore suo surreptitio Trojano inter moratur oscula.---
---Lucet hoc mihi. Menandram aspexit, & in isto
Perfectionis orbe, tam negotiosos habet oculos,
Ut manus officium dememinerint. Et habeat
Junonem, spero, adulterii ultricem probam. ---çitharam accepi---
Phœbus est. At mirum non vocem interesse. Quid si ego
Cantiunculam quandam edam? faciam.

Horrore & silentio
Vivam in perpetuo,
Ubi vespertilio,
Corvus fatalis, Bubo,
Cum his Lupus & Leo
In nostra habitabunt domo:
Nec unquam Solem videbo;
Vivam, vivam, vivam,
Silentio, silentio, silentio.

SCENA V.

Aurelius, Menandra.

Aur. Euge! Venus reliquit Sphæram. Salve Cytherea.
At fallor. Lunam video, inconstantiam enim in vultu lego.
Men. Ipsus est. O Aureli --quid me fugis, amabó? heu me!
Quàm incompositè se gerit! ut scintillant oculi!
Quid tu tam torvè Menandram tuam?
Aur. Meam? odio mihi es: viperam conspicor.
Men. Imò quæ te magìs quàm seipsam amat. *Aur.* O perfidiam mulieris! (lateat?
Nónne Menandræ est tibi nomen? *Men.* Quasi hoc te
Aur. At responde. *Men.* Non nego. *Aur.* Bene est.
Et nónne senex quidam, qui Ludovicus audit, patruus tuus est?
Men. Non nego. *Aur.* Admodum; & nónne Menandram istam,
Sterquilinium hominis-- (illum Dii omnes perduint:
Prudens naturâ me pecus nominare noluit) Gorgonius?
Nónne ille gratiarum nepos Menandram istam in uxorem duxit hodie?
Men. Hoc nego. *Aur.* Negas? Supreme Jupiter,
Vósque omnes qui Nectar sorbilando assiduos dies ducitis,

Facite

Facite modò, ut quod reliquum est vitæ transigam
Ubi nulla compareat fœmina, & fiam omnium hominum
Quantum est miserorum miserrimus. *Men.* Nempe hoc
Est amare? *Aur.* Lacrymatur? Quorsum hæ lacrymæ, mulier?
Men. Hoc qui rogat, illum scire oportet.
Aur. Inter amplas fortunas te collocavit bellus iste custos tuus:
In utrumque nunc dormias oculum licet.
At meos avertam, nè me inficiat Canidia.

SCENA. VI.

Eugenius personatus, Aurelius, Menandra.

Eug. JAm appropinquat, nisi fallor, hora, in qua inimicum suum
Hîc Aurelio prædixeram fore; atque adsum equidem.
Sed quodnam hoc spectaculum?
Aut parùm possunt oculi, aut ipsum conspicor:
At quænam hæc ad lævam plorabunda statua?
Menandra? quid tu ploras, formosa? istas pelle nubes,
Cœlestis Virgo, ut oculorum sydera atro reluceant mundo.
Aur. Cui nempe veneficæ hanc artem debes?
An fortè de ruta aliquid portas?
Eug. Quam artem tu mihi narras? aut quid ego rutam portem?
Aur. Quia Basiliscum tam audacter, & salvus tractitas.
Hanc enim contra serpentem herbam istam multùm potesse audivi:
Si humanitatem sapias, vel tantillum istius plantæ benedictæ impertias mihi:
Multoties enim cum istiusmodi serpentibus intercedit negotium.

Eug. Ludit:

Eug. Ludit: cantet saxo aliter.
Sed differendus est amor, dum hoc è medio tollam obstaculum:
Nostin' tu in urbe hac quendam Eugenium?
Aur. Novi. *Eug.* Tum perjurum novisti, scelestum, ignavum, sacerrimum.
At fortassis tu hic stas ab illo missus. *Aur.* Asto,
Et magno tuo malo: non hæc inulta auferes maledicta.
Eug. Pugnemus igitur—
Men. Heu me, heu, ohime, heu----
Eug. Quid cunctaris, timide? *Aur.* Eugeni. *Eug.* Aut pugna, aut morere.
Aur. Siquidem hâc moriar manu, munus erit.
Eug. Haud verba moror---
Men. O Eugeni, tun' eras? quorsum, obsecro, hæc concertatio?
Eug. --Pusillanimis. *Men.* Me infelicem!--Per amicitiam
Vestram, per vobis quicquid charum; Eugeni,
Per oculos tuos, aut si quid istis charius--
Eug. Imò quod in oculis habeo.
Men. Iram pone tuam, & causas profer iracundiæ.
Aur. Quin cedo, amicule: Quid est quod te malè habet,
Amicissimo tibi Aurelio quod inconciliat?
Aut quorsum hanc personam induis?
Inimicum hîc expecto tuum. *Eug.* Quantum tu linguâ polleas scio,
Ad manus jam deventum est. *Aur.* Furorem mitte.
Eug. Quin tu Menandræ amorem mitte. *Men.* O superi!
Hujus ego mali Helena? *Aur.* Hoccine est?
Eug. Est, & amorem istum ex corde, hoc
Ferro abigam, tuo. *Aur.* Ob isthuc argumentum
Recondas mecum gladium. *Eug.* In viscera tua---
Men. Eugeni, Aureli. *Aur.* Mea vita, anime mi, da manum sodes;

Stringunt gladios & pugnant. Primo impetu patefactus Eugenius.

Quod

Quod exultes dicam: quid renuis? *Eug.* Eloquere.
Aur. Menandram habeas tibi: in illam jus omne tibi dedo meum.
Eug. O spem insperatam! ô verè amicum! Menan- nandra mea?
Men. Abstine manus. *Aur.* Atque audin', Eugeni? hac de præda tua
Nè superbias, siquidem inibi minima pars restat tibi.
Gorgonius.--*Eug.* Quid is? *Aur.* Illam in uxorem
Duxit. *Eug.* Quid audio? *Aur.* Medusam conspexit.
O spem insperatam! ô insipidos amatorculos!
Quin ad bellissimum tuum sponsum pede fausto.
Men. Neminem ego sponsum habeo, neque extra te habebo adeó;
Fallaciam contechnatus est hanc patruus meus,
Nuptias simulans, te ut absterreret in perpetuum.
Eug. Quænam hæc ænigmata? *Aur.* Vera loquitur?
Men. Per hoc suavium mentiri nescio. *Eug.* Ha? ex- pergiscere, Eugeni.
Aur. Juramentum aliud, aut non credam. *Men.* Cen- tum potiús.
Aur. O me beatum! *Eug.* O te perfidum!---
Aur. Quid hoc?
Men. Heu me infortunium fœminæ, quid agitis?
Eheu! eheu! opem ferte populares. **Exit** ***Menand.***

SCENA VII.

Aurelius, Eugenius, Menandra, Leonhardus, Conquisitores 3.

Leon. SEquimini: sed quodnam hoc spectaculum? ocyùs
Aggredimini, atque hanc pugnam dirimite.--
Aur. Quid hoc? *Leon.* Hoc quid sit? hiccine est Eu- genius inimici mei filius?
Unde inter hos ortum est odium? *Aur.* Odiosa genera hominum,

Mittite

Mittite me. *Eug*. Abstinete manus, mastigiæ.
Leon. Eugeni, furorem siste tuum.
Tuum licèt oderim patrem, charus tu mihi tamen hoc nomine, (deo.
Quòd huic monstro hominis te inimicum factum vi-
Aur. Senex, non scire licet
Quid hic sibi velit inhumanus impetus? *Leon*. Sciveris mox tuo malo,
Homicida. *Aur*. Homicida? *Eug*. Homicida? *Leon*. Quin abripitis.
Men. Ahime, quid hi sibi volunt homines?
Redit in scenam Menand. Oh mi Aureli! quò meum vos? ô feritatem! at te Au-
Quocunquè, tamen nunquam deseram. (reli,
Exeunt conquisitores cum Aurelio. Sequitur Menand. *Leon*. Mirari noli, Eugeni, quòd hunc quondam sodalem tuum hoc modo
Abreptum vides:
Si scires quàm capitale designaverit facinus,
Misereri potiùs quàm mirari luberet tibi:
Endomuchum meum nôsti? *Eug*. Quippini? atque amavi unicé,
Te licèt inter & patrem meum iræ jamdudum incaluërint acerrimæ.
Leon. Ah Eugeni! peremptus is est; morior dum hoc tibi memoro.
Eug. Peremptus? siquidem vera prædicas, non diu soror mea superstes erit Felicia.
Sed quis tantum ausus scelus? *Leon*. Qui quondam tibi intimus,
Jam tibi, uti videtur (certè mihi) inimicissimus, Aurelius.
Eug Aurelius? *Leon*. Ipsus. Sed ego ad Senatum propero,
Exit. Et nisi terras reliquit æquitas, nunquam inultus moriar.
Eug. Quàm miris modis Fortuna ludos mortales facit!
Neque aliud quicquam hæc vita mihi videtur, quàm miseriarum vicissitudo perpetua.

Quantum ego bonum & beatitudinem adeò duxi primulúm,
Aurelii hujus amicitiam & consuetudinem!
At heu! quanti mihi reperi mali fontem & infortunii!
Auspicem veluti voluntatis erga me suæ & benevolentiæ,
Longam mihi historiam narrat de Menandra, amoribúsque suis;
Quantus & quám mutuus inter illos amor, quantáque votorum conspiratio:
Comitem porrò toties me, si quando illam viseret,
Adhibuítque participem consiliarium,
Ut ego primùm venustatem, pulchritudinémq; mirari virginis,
Animi celsitudinem venerari postea,
Et ad extremum deperire incipio miser.
Reluctor primó, & in pectore diu condo, ratus tempore
Flammam istam extingui posse funditus.
At ecce, eò exarsit vehementiùs. Quid opus verbis, ubi Aurelio superstite
Nullam mihi spem reliquam video potiundi amoribus?
Id ago, scilicet illum ut è medio tollam; quam licèt ansam
Conquisitorum intempestivus hic interventus atque impetus
Præripuerit mihi; si vera tamen sunt quæ Leonhardus autumat,
(Quod ægrè credo, siquidem jam primus audio:)
Non est omnino quòd desperes, Eugeni. Atque ecce, Menandra redit.

SCENA VIII.

Eugenius, Menandra.

Eug. QUanta verò cum majestate! Euge! tales Venus

Interempto puero gerebat vultus; Diana tales:
At haud juxtà cum his adblandientes tamen.
Venusta stella---- *Men.* Nam quis tu es homo ?

Eug. Nullus, si irata mihi: sin propitia, omnium felicissimus.

Men. Quasi tu diceres te me amare? *Eug.* Apage isthuc Quasi.

Men. Tum per amorem istum, si modò sit uspiam gentium amor,
Duo hæc abs te impetrata feram, obsecro.

Eug. Spondeo, quæcunque sint; tu modò quæ sint loquere.

Men. At nè renuas vereor, ubi sciveris. *Eug.* Per Veneres omnes atque Cupidines,
Imò per hoc exemplar naturæ, quod frustra exprimere
Sataget in posterum, sanctè juro Menandræ nihil
Negaturum, nisi vires superet servi ejus Eugenî.

Men. Auscultes ergó. Primúm, nè verbum unquam mihi facias posthac.

Eug. Quid audio? *Men.* Promissi memor esto. *Eug.* O me omnium miserrimum !
Ut nunquam Menandram alloquar ? hoc est in æternum ut mutus siem;
Ut extemplo moriar.

Men. Nihil intelligo. Quin accipe reliquum. Ad Aurelium me ducas protinus.
Deos enim Deásque testor omnes, oculos, quos jam claudo, reclusuram nunquam
Ad eum donec veniam. *Eug.* O superi ! *Claudit oculos Menan. Intrat Titius.*
Beneficia, planissimè, quæ mihi hactenus misistis, mala,
Præ quàm quibus nunc adobruor. *Men.* Liberásne fidem datam?

Eug. Hem libero.--- *Tit.* Hàc atque illàc--- sed quos ego video?

Eug. Millies peribo potiùs, quàm habebor votifragus;
At aliò ducturum modò sperabam miser.

Exeunt. *Tit.* Abiere.

SCEN.

SCENA IX.

Tittus puer, Tricongio, Cotyttia, Lupa, fidicines, Luma.

Tit. DIi boni, quàm inauſpicatum herus Menandræ nuptiis deſtinavit diem !
Ædepol Heracliti hic natalis eſt; ità fidicines
Ad unum, opinor, omnes hac urbe exulant.
Sed quid illìc ?
Tric. Cura, mea belliſſima Lupa, pallium & gladius iſthic apud te
Serventur integra; ut ſi fortè repignorandi poſthac contingat copia,
(Quod haud unquam credo futurum tamen) eâdem munditie,
Et nitore, ad dominum revertantur ſuum. Atq; audin?
Mea deliciarum plenitudo, cœnam nobis lautam & opiparam
Te curare volo. *Lup.* Curabitur probé, nè dubites; at Cotyttiæ parata manu.
Tric. Agite fidicines, tortores ilium,
Inteſtinorum vexatio; parcentes ego dextras odi. *Saltam Tric. & Cotyttia.*
Tit. Euge tandem, tandem, Ha, ha, he! ---hoc eſt verè vivere:
Dii me, niſi ego hoſce nebulones ad noſtras deducam nuptias,
Artem tam fabrè callent ſuam.
Tric. Oh! ut ego uxorem meam, ubi hoc lepidiſſimum corpuſculum amplector, odi malé !
Apage hanc velatam faciem. *Lup.* Sine modó:
Nónne prædixi pudibundam eam eſſe plùs ſatis ?
Tric. At non diu erit, ſpero.
Tit. Ha? ſi aures ego meas fidos ſatìs habeo nuncios mihi,
Tricongionis vocem ex iſta veſtiarii officina accepi modó;

Atque

Atque perecaſtor is eſt. Sed veſtes quomodo ille has?
Atque eccas meretrices etiam uná.

Tric. At mea Lupa, fac tandem exuat hanc nimiam modeſtiam.

Tit. Meus is homo eſt; minitabor hæc omnia Cotyttiæ me facturum palám,
Niſi fidicines mecum ſponte abire ſinet.

Cot. Diutiùs abſtinere nequeo: ---*Ut ego Cotittyam odi malé?*

Lup. Pejora audies, ſi tacueris. *Cot.* Mea Lupa, impetrâſti.

Lup. Facilior pauló eſt quàm antea. *Cot.* Imò longè ſævior.

Tric. Agite fidicines. *Tit.* Oh, Tricongio.

Tric. Siſtite. *Tit.* *Ut ego uxorem meam, ubi lepidum hoc corpuſculum----*

Tric. Perii: quî huc (malúm) hic irrepſit puer?

Tit. *Apage à te hanc velatam faciam.* *Tric.* Obſecro, mea Lupa,
Funditus interii, niſi nequam hunc puerum
Aliquid demereamur. *Tit.* Niſi hoc reſciſcat Cotyttia.

Cot. Ha, ha, he.

Tric. Audin' quid minitetur? *Lup.* Quid vis faciam? *Tric.* Adblandiamur ſodes.
Titte mi, túne hìc eras? Vin' tibi bene eſſe, mea voluptas?

Tit. Certè malè tibi. *Tric.* Vin' nobiſcum ſaltare, mi lepidule?

Tit. Tibi verò quid obtigit, quòd tam hilaris es?
An fortè tu & Cotyttia tua rediiſtis in gratiam?

Tric. Ah! nè verbum quæſo de Cotyttia, ſi me ames; hem tibi
Quæ mille ſuperat Cotyttias. *Cotyt.* Et niſi ego te ſuperem---

Lup. S't tace. *Tric.* At cave nè hæc tu effutias, mi feſtiviſſime Titte.

Tit. Imò verò hæc omnia quamprimum sciat faxo, nisi (duxero.
Hos, quos vocas tortores ilium, mecum statim ab-
Tric. Ah, quæso nè faxis; nam quid tu illis facturus?
Tit. Quid rogitas? nuptiæ apud nos celebrantur hodie,
Ludovici mei Menandram inter & Gorgonium.
Ibunt mecum? an ego ad uxorem tuam ivero,
Atque hæc illi? *Tric.* Ah, quidvis potiús: saltemus tamen
Priusquam auferas. *Tit.* Quîcum veró? *Tric.* Cum utravis harum
Tibi quæ placuerit maximé. *Tit.* Humané. Sed quid hæc sibi
Quærit cum velo? *Tric.* Oh, præ modestia obvelat faciem.
Tit. Præ modestia? insigne pol argumentum modestiæ,
In lupanari conspici: non, non; latet aliquid quod non patet;
Non mihi placet. *Tric.* Proin sit illa mea, tu cape Lupam.
Tit. Hui! Lupam vocas? elephantem diceres. Ipse si adesset Orpheus,
Tantam terræ molem haud movere queat.
Tric. Experire modò, nostri quid possint Orphei.
Tit. Quid ais, venustissima virguncula? *Lup.* Ludis me, furcifer?
Tric. Sine, quæso; mos gerendus est, nè ille hæc uxori meæ.
Quin tu, meæ deliciæ, exue tandem hanc modestiam; saltemus, saltemus.
Tit. Túque, ocelle mi, pone quoque hanc nimiam verecundiam; saltemus, saltemus.
Tric. Si me ames, nè nega. *Lup.* Quando ità vis, fiat. *Tric.* Agite. Saltant.

F *Tit-*

Tit. Euge, quàm mihi quadrat! at heus, oscula si velis, (gin'?

Proboscide me tuâ tollas oportet ad labella. *Lup*. Per-

Saltant item. *Tit*. Imò pergamus pariter.---

Sat, sat, Tricongio: subita sunt mihi negotia.

Tric. Paulisper porrò sodes. *Tit*. Nè tantillum.

Tric. Si ità sit necesse, vale. Vobis etiam abire licet;

Siquidem mercedem accepistis intus. At, Titte, vide,

Nè fidem fallas, & hæc Cotyttiæ. *Tit*. Sat est.

Potin' tu tacere? eamus, mei tortores ilium,

Intestinorum vexatio; vestra vos vexate ilia,

Exeunt. Atque ego vicissim meas vexabo tibias. Sequimini me.

Tric. Quin agè meum suavium, nunc soli sumus; tandem

In amore mihi responde mutuó; pish, nondum?

Tu fortassis quoniam est mihi uxor domi---

** Ad spectatores.* *Cotyt*. * At tu mox senties tibi non esse uxorem domi.

Tric. Te non esse cordi mihi suspicaris; satin' habes

Si illam abjurem, & diris devoveam---Ah, quò te?

Cotyt. Ferre diutiùs nequeo. *Lup*. Vel pauxillum.

Tric. O meum corculum, hem tibi suavium;---

Rosas pol & violas spirant labella tua.

--Cotyttia? Sterquilinium fœminæ. *Lup*. S't.

Tric. Cotyttia? quàm illud nomen olet malé! foh! Cotyttia? *Lup*. S't.

Tric. Dic mihi, nónne amas me formosula? *Cotyt*. O perdite!

Tric. O vocem cœlestem! méne amas perdité? atque etiam amplecti gestis?

** Ad spectatores.* *Cotyt*. Mox videbis quàm te amplecti gestiam--*ubi baculum sumpsero.

Tric. Ah! videte quid vestes possint. Mox? O cœlestem vocem!

Ego mox videbo quàm me amplecti gestiat. *Cotyt*. Imò statim.

Tric.

Tric. O cœlestem supérque vocem! ego statim? *Cotyttia & Lupa clàm rident inter se.*
Per Jovem uxorem ego meam Cotyttiam veneno
Statim interimam, & te uxorem ducam, mea Venus:
Cotyttia? rabida canis. *Cotyt.* Ampliùs abstinere nequeo, Lupa.
Tric. Quid dixit? ampliùs abstinere nequeo?
Ampliùs abstinere nequit, quin me amplectatur;
Id voluit, sat scio, quin me amplectatur ampliùs abstinere nequit:
O cœlestem super supérque vocem! Cotyttia? vah!
Dentes illi carbones, labia corium, olet ab unguiculo
Usque ad capillum summum--haud stercorarium suavius. Sat habes?
Cotyt. Imò, & tu mox habebis satis. *Tric.* Ah! mox ego habebo satis?
Quin ponas itaque hanc nubem, ponas itaque, mea Luna,
Atque isthoc splendore tuo fac tuus vigilet Endymion. *Deponit larvam Cotyttia.*
Cotyt. Impetrâsti, Endymion. *Tric.* Oh! quid nunc faciam?
Cotyt. Hem! dormis, Endymion? evigiles faxo. Lupa, cedo mihi. *Vapulat Tricong.*
Lup. Ha, ha, he. *Cotyt.* Egon' sterquilinium, verbero? *Exit Lup.*
Egon' rabida canis? hem tibi; egon' stercorarium oleo?
Dentes mihi carbones, scelus? Luma, mea Luma, tuam opem.
Tric. Eheu! quid faciam? optimum est
Ut ad Diabolum me retro recipiam protinam. *Fugit.*
Cotyt. Quousque? *Lum.* Ubi est, amabó?
Cotyt. Oh! aufugit furcifer? at ego sequar, & persequar adeó:
Mea Luma, eamus. *Lum.* S't. *Cotyt.* Quid vis?
Lum. Prodit, ecce, Senatus. *Cotyt.* Nam quid hoc negoti?
Lum. Revertamur intus, donec hi pertranseunt. *Exeunt.*

SCENA X.

Theophilus, 2. *Senatores*, *Leonhardus*; *Aurelius*, *ligatis manibus*; *Conquiſitores*, *Ludovicus*, *Euphues*, *Gorgonius*, *Notarius*.

Lud. AT vereor nè non confidenter ſatís. *Eup.* Vah, ut non ſatìs
Confidenter Euphues? *Lud.* Etiam tu Gorgoni?
Gorg. Etiam dubitas? Quòd verum dixit magiſter Euphues,
Jurabit diſcipulus Gorgonius.
1. *Sen.* An jusjurandum præſtitêre accuſatores? *Not.* Factum.
2. *Sen.* Facta eſt ergò iis loquendi libertas.
1. *Sen.* Te, Leonharde, quia juvenis occiſi pater, primas habere
Partes decet; loquere. *Leon.* Quid ego dicam, Patres?
Quídve poſſim adeó? cui tam dubia
Cœna hodie appoſita eſt mali.
At ſi uno verbo accipietis omnia, Filium habui.
Lud. Iſte, quem homicida crudeliter ſpoliavit vitâ.
Theop. At pace tuâ, Ludovice, noſtræ haud ſinunt leges quenquam
Inteſtatum condemnarier. *Leon.* Imò amicitiam tuam
Expertus ſum ſæpius antehac, & nunc, quantum potes, inveniam ſcio.
Theop. Veritas, ubicunque eſt, Leonharde, mea eſt;
Ego neq; te moror, neque iſtum; juſtitiæ patronus ſum:
Si per teſtes jam veſtros hic jacebit reus,
Cauſam haud dico, quin, quod meritus eſt, accipiat;
Sin verò inſons, veſtrâ ſolùm delatus invidiâ, nos decet,
Penes quos innocentes eſt à malevolis defendere,
Hujus à vobis famam & vitam vindicare ſimul.
Leon. Doctiſſimi hujus viri in meam partem appello artem.
Theo. Ain' tu, Ludovice, filium hujus ab Aurelio interemptum eſſe,

Et hoc per artem te novisse tuam? *Lud.* Aio.

Theop. Quid tu, Aureli? *Aur.* Hoc; In muscarum Republica

Digni sunt qui judicent, in re capitali, impostori huic

Qui fidem adhibent, & scientiarum opprobrio.

Lud. Nónne prædixi hoc? merum est convitiorum horreum.

At mitto artem, testes potiùs produco meos.

Theop. Ubi sunt isti, quos memoras testes? videre gestio.

Ego in hoc Ludovico imposturam metuo, Patres;

Neque artem istam (quam jactitabat) dubiam,

Satis ad hanc rem confirmandam judico;

Siquidem adolescentem ingenuæ indolis & humanæ semper novi.

Lud. Mihi credite, nihil est. Hem vobis, Patres,

Qui sicarium hunc inter pocula hoc effutientem audivêre facinus.

Theop. An jusjurandum illi? *Not.* Jamdudum.

Lud. Loquere, loquere.

Euph. Audivi. 1. *Sen.* Quid audivisti? *Euph.* Aurelium hunc

De morte filii hujus Leonhardi inter pocula exultantem scilicet.

Lud. Gorgoni, Gorgoni, Menandram in uxorem duces; nè dubites.

2. *Sen.* Quid tu? *Gorg.* Idem quod Magister meus:

Nam ego cum illo audivi uná. *Lud.* Quàm veré!

Oh! optimé! optimé! *Aur.* Oh! quàm vellem! ---

Patres, si quid vita mea vobis erit commodi (tam parvi ego istam pendo)

Hìc sponte (Deos testor omnes) impertio lubens.

Leon. Euge! quàm liberalis! illud dones quod juris est tui.

Aur. Crudelis senex! quem occidis, eidem & occidi velle permitte dicere.

Facilis quidem petitio hæc. *Theo.* Quin ſine, Leonharde; æquum poſtulat.

Aur. Ego, Patres, hîc adſto veſtrûm in conſpectu omnium.
Homicidii reus, at falſis convictus teſtibus,
Non veritate, aut conſcientiâ meâ;
Quippe invidus iſte & avarus ſenex,
Me inter & Menandram neptem ſuam
Divortium ut faciat, hoc commentus eſt ſcelus;
Atque ad hanc rem hæc duo ſcelerata capita
Teſtes hujus conflavit facinoris.

SCENA XI.

Intrant Eugenius & Menandra ad cæteros prædictos.

Men. VOcem ejus audio: ſalve iterum lux: Aureli: Patres---

Aur. Ha! ah! hoc uno plùs vixi die quàm par fuit.

Men. Quid ego innocentem hunc manibus hîc ligatis video?
Quin ſolvi jubetis, méque, quæ merita ſum, in vincla conjicitis?
Ego hujus ſenis filium interfeci impia,
Eccam vobis hanc quâ peribat manum!
Atque hoc omne hunc inſontem clam perpetravi Aurelium.

Aur. Sydera natalia! quantum iſthoc nomine vobis debeo,
Quòd Menandræ ante mortem benefaciendi copiam præbuiſtis mihi!
Valeat innocentia, & nominis candor ſuperſtitis;
Hujus facinoris haud conſcius licèt, ore tamen proprio moriar,
Potiùs meæ quàm Menandræ vel fama tantillum periclitetur.
Patres, nolite credere, obſecro, miſellæ fœminæ;

Solus

Solus feci ego; Quin in cruciatus, Leonharde?
Ego filium interfeci tuum, & interfecisse gaudeo.
1. *Sen.* Mira hæc sunt; sed quid iste sibi quærit peregrinus?

SCENA XII.

Ad prædictos intrant, Palinurus, Endomuchus & Felicia personati.

Pal. POtin' ut taceas? ego de hac re pleno sapio pectore.
Quod velint, quódque meriti, huic senatui celeberrimo:
Potin' aliquis vestrûm commonstrare mihi, Leonhardus & Theophilus ubi sint?
The. Possum id ego, quisquis es. *Pal.* Tum istos ambos mihi
Obviàm ire volo, atque, ut æquum est, peregrè venientem
Salutare, & ad cœnam vocare. *Theo.* Quî, obsecro?
Pal. Quia collubitum est mihi; quia Medeæ artem mecum
Nunc adduco, quâ repubuit Æson.
Tanta ego illos onerabo lætitiâ. Sed ubi sunt? aut ostendite, aut ego abeo.
Leon. Imò mane: quænam ista lætitia est, quâ me oneraturum prædicas?
Pal. Nimirum tun' illorum unus? *Leon.* Tenes; Leonhardus sum.
Pal. Nempe tu filium perdidisti? *Leon.* Habes.
Pal. Imò tu habes, vel habeas faxim. *Leon.* Quid?
Pal. Filium tuum scilicet, quem tu te perdidisse autumas: vivit.
Leon. Vivit? *Lud.* Phy, phy, phy! quid me fiet, hic si
Vera memorat? *Pal.* Vivit; at manta, dum seni
Alteri (cujus potissimùm in gratiam huc veni hodie)
Animum expleam gaudio. Ubi Theophilus? *Theo.* Hem tibi.

Pal. Tun' filiam olim perdidisti quadrimulam?
Theop. Perdidi.
Pal. Eia; canum istud caput haud decent mendacia.
Non perdidisti, inventa est. *Theop.* Quid audio ?
Leon. At responde, Endomuchusne vivit meus?
Pal. Molestus es.
Nónne dixi? atque auditin'? Nihil expectetis amplius,
Neque tuus ubi sit filius, neque filia tua;
Nisi hoc unum à vobis priùs impetratum feram.
Leon. Impera, & si ego abnuam, peream indignissimé.
Theop. Et ego Ludovici victus invidiâ. *Pal.* Satis habeo.
Hos duos amatores hîc apud vos connubio stabili
Vestra bona cum venia jungi volo,
Quod mutuum parentum odium apud suos prohibuit hactenus.
Leon. Apage: quin fortunas tecum dividam jube.
Pal. Imò de mercede vestrum sit arbitrium postea.
Facite modò quod jubeo. *Theo.* At nostræ non est hoc
Potestatis, mi homo. *Pal.* At ego nihil ampliùs, nisi quod
Possitis, postulo. *Leon.* Quicquid in me est, spondeo.
Theop. Et idem ego. *Pal.* At ego juretis faxo priùs--
Leon. Per superos omnes. *Theop.* Atque sanctos.
Pal. * Hem tibi filium!
Leon. Ha ! *Fel.* Et tibi Feliciam! *End.* Mi pater--
Lud. Oh! quid ego nunc faciam? disperii planissimé,
Nisi in lapide meo mihi quid auxilii fiet:
Ubi est? Au, ego hîc *adstabo invisibilis.
Leon. Endomuchus ? *Theop.* Felicia? Sancta Catharina,
Quomodo tu ex Monasterio profuga ? aut quid tu in istius
Canis amplexu prostibulum? *Men.* O superi ! quàm justi estis?

** Subtrahit larvā Endomucho & Felic.*

** Lapidē in ore posuit, & angulum petit (uti putat) invisibilis.*

Leon.

Leon. Endomuche? vix oculis credo meis. *Eug.* Quæ hæc nova
Rerum facies? iterum perii. *Theop.* Quin istam pellicem
Mitte tuam, nequissimi patris fili pessime.
Fel. At, mi pater, sinas obsecro cum Endomucho vivam, aut emoriar jubeas.
Theo. Terræ filia. 1. *Sen.* Sine, Theophile. *Eup.* Heu me!
Gorg. Magister, magister, hic si sit Endomuchus, imposuit
Nobis Ludovicus pulchré. *Leon.* O festum diem hominis!
Endomuche? *Theop.* Nihil audio. *Leon.* Quid tu, mi
Fili, istam tam arctè complecteris fœminam? apage
Odiosam inimici mei prolem. *End.* Eâdem operâ, mi pater,
Luci valedicam jube. *Fel.* Et me vitæ.
Pal. Theophile--- *Men.* Quem ego video? Palinurum olim patris
Mei servum Antwerpiæ? is est. *Pal.* Ego nunc
Aurium operam mihi dedas volo: Filia ubi sit tua, quæ olim
Tibi surrepta est quadrimula, audire gestis an non?
Theop. Quàm maximé. *Pal.* Atque audin'? nunquam scibis, nisi alteram
Hanc filiam huic homini in uxorem des priús. Dixi.
Tu, Leonharde, promissi sis memor tui.
Aur. Quàm vario aspectu Fortuna res intuetur mortalium!
2. *Sen.* Leonharde. 1. *Sen.* Theophile. *Pal.* Atq; eccam (nisi *De pace suadent.*
Mei hallucinantur oculi) ipsam Menandram Philarchi olim
Heri mei filiam supposititiam. Euge, ipsa est.
Men. O mea lux. *Lud.* Non me vident, spero;

O præclarum lapidem! 1. *Sen.* Sic; atque omnia odia vestra
Ponite. *Theo.* Atque ex animo; * specimen accipite.
Leon. Ecce, * in amore tibi respondeo.
Theo. Sed, ô patrone mi, ubi est filia mea Maria?
Pal. Sitne Maria, nécne, haud scio; certè filia haud procul est.
Menandra salve. *Men.* O salve Palinure,
Ubi tu ætatem, postquam mortuus est pater meus?
Pal. Hercle, quod dici solet, *Hîc & ubique.* Sed manum tuam, obsecro.
Vin' te felicem faciam? *Men.* Fecisti, Palinure,
Tuâ quando operâ liberatus est Aurelius.
Pal. At ego te etiam liberabo. Senex, tuam etiam manum.
Theo. Quid itá? *Pal.* Quia ego jubeo: dabin' an non? tene hanc virginem.
Theo. Egon' virginem? *Pal.* Tu, inquam. *Theo.* Nam quare?
Pal. Quia ego jubeo. Jam habes quam quæris filiam.
Theo. Quomodo? Sanun' es? *Pal.* Imò & sobrius.
Anne tu Theophilus? *Theo.* Sum. *Pal.* Et nónne filia
Tibi olim nundinis autumnalibus surrepta est
Quadrimula? *Theo.* Factum. *Pal.* Hem restitutam.
Lud. Haud dubium jam est, quin ego etiam ad restitutionem cogar.
Theo. Verùm audi. Mea si sit hæc, paulò supra brachii dextri exitum (oportet:
Quasi crucis figuram ardenti purpurâ expressam habeat
Quam nos armillis obumbravimus.
Pal. Ego nihil moror cruces, neque figuras: pristinam agnosco formam.
Men. Dii me servâssent! salve pater; hem tibi quam memoras notam.
Theo. O Sancti omnes! ipsissima est. O notam beatissimam,

Quæ

* Dat filiam Endomucho.
* Amplectitur Theophil.

Quæ summum infortunium præsagire videbatur primulúm !

Sed heus tu; paucis te, quæso, expedi; Meam hanc quis surripuit ?

Quóve pacto tibi innotuit ? *Pal.* Accipe paucissimis.

Philarchus mercator Antwerpiensis olim herus meus fuit;

Is huc mercatum venit, atq; me secum adduxit uná;

Finitis negotiis, navem petentibus, forte fortunâ, tua

Hæc plorabunda fit nobis obviám, & ad patrem, inquit,

Vos obsecro, ducite. Quærentibus quid illi nomen,

Theophilus respondet scitula. Ibi herus formam

Atque indolem contemplans virginis,

Adblanditur, & ad patrem ducturum pollicetur illico:

Navem conscendimus, & cum virgine

Vento secundo Antwerpiam appellimus;

Ubi herus (utpote illiberis) hanc educit pro sua, & Menandræ nomen indidit;

Moriénsque decem post annos hæredem instituit.

Lud. Jam tua res agitur, Ludovice; utinam hic tam mutus fuisset,

Quàm ego (uti spero) invisibilis!

Pal. Atque fratris sui Ludovici (urbis hujus incolæ) curæ & tutelæ credidit.

Theop. Tu verò, mea salus, cur me tam serò hoc beâsti nuncio ?

Pal. Men' rogas ? Prædones potiùs istos roga nefarios,

Qui me huc adnavigantem statim post mortem heri, tibi ut hæc

Renunciem, intercipiunt,

Et annos quinque integros captivum detinent.

Theoph. Indignum hercle facinus; Sed tu quo pacto tandem liberatus ?

Pal. Ædepol cœlitus; Siquidem hi, quos dixi, prædones

In

In navem cujuſdam Mercatoris Londinenſis facientes impetum,
Opimam indè captantes prædam, id quod Dii volunt, capiuntur ipſi.
Quo facto, perhumanè quidem victores Angli nos dimittunt liberos.
Gorg. Magiſter, magiſter, aut doce hunc hominem elegantius loqui,
Aut abeamus. *Eup.* Liceret utinam, mi diſcipule.
Pal. Quamprimum arenam ſalutaveram, huc contendo protinam;
Et percontanti ubi habitaret Theophilus, fortè hic occurrit juvenis
Cum amica hac ſua, qui me viciſſim ſciſcitantur unde ſim,
Et quid cum illo mihi ſit negotî. Uſque adeò utriuſque
Mihi placebat comitas, ut univerſam hanc, tu quam
Accepiſti, ipſis edictabam hiſtoriam.
Nondum finieram, quin rumor ad portum delatus eſt,
Ab Aurelio quodam Endomuchum fuiſſe confoſſum,
Et de eo Senatum ſententiam laturum hodie:
Hîc illi, O hominum, inquiunt, quantum terra tenet, exoptatiſſime!
Miſerrimum hoc par feliciſſimum facere in tua ſitum eſt manu:
Atque hîc amores ſuos, ærumnas, & anguſtias prædicant;
Ipſis etiam in animo fuiſſe patriam ſtatim relinquere,
Séque ſuáſque fortunas Neptuno credere:
Nec cauſas celant, nimirum mutuum inter parentes odium,
Quos me ſolum poſſe, aiunt, in gratiam redigere,
Atque eâdem operâ à pœna judiciorum innocentiam liberare.
Polliceor operam; quo pacto hoc fiat doceant modó:
Docent; huc nos properamus quantum poſſumus.

Theo.

The. Diutiùs me continere
Nequeo; salve multùm, exoptata filia.
Conquisitor, duc intrò protinam
Hunc hominem commodissimum,
Vino etiam generosissimo victúque saburrato optimo.

Pal. Festivum hercle senem. *The.* Quin sororem amplecteris, Eugeni?--Mea Maria.

Men. Mi pater. *Eug.* Sororem? ha? *Aur.* Me felicem! quid audio?

Lud. O quàm tremo! O mi charissime lapis, sis tu mihi fidus, adjuro te.
Vera hæc sunt omnia. *Eug.* Mea soror, salve;
Quam à me fuisse amatam vel ipse tuus ignoscet Aurelius.

2. *Sen.* Quin liberatis captivum istum innocentem? *Eug.* Mi Aureli,
Felix esto. *Aur.* Eugeni mi. *Eug.* Hem tibi finem odii
Nostri; Menandra soror mihi inventa est, & uxor tibi.

Theo. Sed ubi scelus iste Ludovicus, qui tanta hodie
Tam confidenter commentus est mala?

Lud. Oh! jam tandem ubi sim rogitant. O præclarum lapidem!
Ha, ha, he.

Theo. Paternis jam satìs indultum est affectibus; judices agamus.

1. *Sen.* Quin coram adducitis tria ista perjura capita?

Conq. Audin' cognomentum tuum? quin prodis? *Lud.* Nam quem hic alloquitur?
Súmne ego visibilis? *The.* Quousque? *Eug.* Quem quæris, pater, nullus est hîc Ludovicus.

Lud. Euge! *Conq.* At ego aliquem teneo Ludovico haud dissimilem.

Gorg. Magister, magister, quid ego dicam, ubi etiam me evocârint?

Euph. Sic; Si quid est in me ingenii, judices.

Gorg.

Gorg. In me ingenii, judices. 1. *Sen.* Aureli, accusatorem hîc siste tuum.

Aur. Agè, mitte artem tuam; atque testes profer tuos fidelissimos.

The. Ludovice, quid tergiversaris? *Lud.* Pessime lapis, Quàm tu me frustratus es hodie!

1. *Sen.* Satis nobis constat te esse horum scelerum caput.

Malitia tua te, tu Leonhardum perpulisti, Aurelium homicidii

Ut reum peragat. *Lud.* In malam crucem, lapis perfide; Falsissimæ Ephemerides! inanis Ptolemæi umbra! nequicquam, uti

Jam video, vos invocavi toties. *The.* Quid vis?

Clariora sunt omnia, quàm quæ negare possis.

1. *Sen.* Quin feramus sententiam.

2. *Sen.* Loquere tu, Theophile; tibi enim omnia permisimus,

Te quoniam hæc res spectat præcipuè.

Lud. Quid me nunc fiet? *The.* Imò vos etiam.

1. *Sen.* Proin tu incipe.

Theo. Census universus confiscatur tuus.

1. *Sen* Quem nos Menandræ sive Mariæ addicimus.

Theo. Atque ego illam tibi, Aureli. *Aur.* O verè diem!

Theo. Quin uxorem amplecteris? *Aur.* Atque vitam simul.

Men. O superos, justissimos innocentiæ vindices!

Gorg. Audin' magister? quid nobis nunc fiat metuo.

Euph. Rectè, mi discipule; Ubi proximus ardet Ucalegon,

Producunt Euph. Tibi prospicias tempus est. *The.* Producite reliquos.

Te magistrum cæremoniarum esse aiunt, atque verba vendere:

An mendacia & perjuria vendis etiam?

Euph. Bona vestra cum venia, patres, vestram non latet scientiam,

Quod

Quod de duobus parvis scribitur animalculis---
1. Sen. Quorsum hæc? *Euph*. Habet & musca splenem, & formicæ sua
Bilis inest. *2. Sen*. Mitte has ineptias, atque ad rem redi.
Euph. Patientiam vestram quæso: non semel sed sæpius
Aurelius hic ludos me fecit, & ludibrium publicum.
The. Sat intelligo:
Ille te ludos, & tu illum ludo morti, quantum in te est, objicis.
Siccine? *1. Sen*. Proin nos seriò maleficium insigne tuum
Exilio mulctamus; velis remisque in patriam tuam Angliam renaviga.
Ludum tuum cæremoniarum in hac urbe non feremus diutiùs.
The. Pœnam pol meritis imparem! *Aur*. At pace vestrâ sufficiat tamen.
2. Sen. Vide quantum Aurelio debeas. *Theo*. Jam quid tu hujus *Exeunt Conquis. cum Euph.*
Discipule lepidissime?
1. Sen. Probus ædepol discipulus; nam jurare didicit in verba Magistri.
Quid ais? *Gorg*. Si quid est (nónne sic Magister?) si quid est
In me ingenii, Judices, *The*. Ha, ha, he. *Gorg*. Magister, quid
Sequitur? Si quid est in me ingenii, Judices,--
1. Sen. Quod sentimus plùs satis quàm sit exiguum.
Gorg. In malam rem, deseruit me Magister.
Eug. At pace vestrâ, Patres, liceat mihi hujus pœnam deprecarier; & nisi vobis
Aliter visum fuerit, pœnæ loco sit
Inter cœnandum (hilariores ut simus)
Quascunque à Magistro didicit, repetat cæremonias:
Tibicinis instar erit. 1. Sen.

1. *Sen.* Mihi placet equidem. 2. *Sen.* Et mihi. *Th.* Fiat.
Lud. At obsecro vos, canitiem communem spectate: mendicitati me adjudicatis.
Theo. Mendicitati? An non artem habes, quæ te ditare etiam poterit?
Lud. Oh! mitte artem meam; destituit ars mea me planissimé. (boni,
Leon. Vel meâ causâ, Patres, cui tot hodie obtigêre
Commeruerit licèt, nè sit undequaque miser.
End. Et utriusque etiam nostrûm gratiâ, de summo jure pauxillum detrahite.
2. *Sen.* Nam quid itá? quid ille vobis boni? *End.* Oh, summi.
Ejus enim operâ, sed & fortunæ pariter, in Monasterium
Meam ad Feliciam asportabar prosperé. *The.* Nam quomodo sodes?
Fel. Intus, mi Pater, hoc in cœna audies; nimis longa est historia,
Quæ hîc narretur. *The.* Proin' vestrûm omnium gratiâ,
Hoc illi indultum volumus. Aureli. *Aur.* Patres.
The. Vin' tu hunc ad te recipere, atque ex tuo,
(Nempe tuo jam) in posterum alere? *Aur.* Fiet lubentissimé, (cupio.
Id si velitis. Ecquid ampliús? *Lud.* Imò nihil ampliùs
Aur. Salve ergò, mi charissime patrue. *Lud.* An hoc ex animo?
Aur. Dubitas etiam? *Lud.* Menandra, tun' etiam in gratiam?
Theo. Agè filia, nè renuas. *Men.* Hem me dicto audientem, pater.
Lud. Sat habeo. Vale Ptolemæi umbra; valete
Zodiaci, & lapides invisibiles omnes.
Theo. Sed tempus est, ut nos intrò recipiamus, ad geminas has celebrandas
Nuptias: eamus omnes ad me--Sed quid hîc tumultûs?
Quid

Quid sibi hi lictores quærunt? Eugeni. *Eug.* Pater.
Theo. Dum nos hoc quodcunque sit negotî excutiamus, tu hos ad me;
Atque pro dignitate accipe: jube etiam nè in mora cœna fiet.
Sequimini sodes, Leonharde, Endomuche, Aureli: túq; etiam Ludovice, & Gorgoni. *Exeunt Leon. Endom. Fel. Aur. Men. Lud. Gorg.*

SCENA XIII.

Tricongio, Philautus, Lictores, ad Senatores & Theophilum intrant.

1. *Sen.* Estne hic Tricongio Bibliopola? Ipsus est. 2. *Sen.* Quid hoc rei est?
Tric Obsecro vos, quò me rapitis? quid ego commerui, aut peccavi miser?
Lict. Extemplo scies. *Phil.* Tenêtin'? videte nè aufugiat,
Dum ego causam meam apud Senatum exponam.
Theo. Atque hic etiam Philautus Leonhardi filius, an non?
2. *Sen.* Philaute, si quid nos vis, in pauca conferas.
Phil. Verbo accipite, Patres; suffuratus est hic homo vestes meas mihi.
Tric. Atque ille etiam, si placet, vicissim meas mihi.
2. *Sen.* Quid hoc?
1. *Sen.* Fortasse madidus est, utì solet, Tricongio.
Theo. Profer ergò testes, Philaute. *Phil.* Non opus est: percontamini, quæso,
Cujus istæ sint vestes quibus ille indutus est. *Tric.* Vicissim percontamini
Etiam, cujus istæ quibus ille indutus est. *The.* Hilarem pol controversiam!
1. *Sen.* Atque dubiam! 2. *Sen.* Discutiamus ergó: Tricongio, vestes istæ,
Tu quas geris, quem sibi vendicant dominum?
Tric. Nescio:

At hoc ſcio, veſtes iſtas, quas ille gerit, me ſibi vendicare dominum.

Theo. Quid tu, Philaute, reſpondes? *Phil.* Idem quod ille;
Cujus hæ ſint veſtes neſcio: at iſtas meas eſſe
Satìs certò ſcio. 1. *Sen.* Unde tu tuas habuiſti veſtes, Tricongio?

Tric. Neſcio. *The.* Unde aut ubi tu illas, Philaute?

Phil. Pariter neſcio. 1. *Sen.* Hui, cauſam inauditam!

2. *Sen.* Reſponde ſemel, Philaute; quando tu tuas habuiſti veſtes?

Phil. Heſternâ nocte. *Theo.* Quando tu tuas?

Tric. Iſto quoque tempore.

1. *Sen.* Ubi voſmet lecto commiſiſtis? *Tric.* Profectò omnino ego non ibam cubitum.

Phil. Neque ego. *Theo.* Miraculum planiſſimé; ut neutrum ad cubitum iret,
Et uterque veſtes perderet.

Intrat Eugen. *Eug.* Pater, cœna corrumpitur, & convivæ te jamdudum expectant tui.

Theo. Eugeni, nôſtin' tu hos? *Eug.* Ha, ha, he!

Theo. Quid rides? *Eug.* Ha, ha, he! ignoſcas pater, abſtinere nequeo; Ha, ha, he!

Theo. Tandem verò auſculta; Lis huc defertur, quam nos
Non ſumus componendo. *Eug.* Ha!--at ego, ſi placet,
Componam facillimé. 2. *Sen.* Imò difficillimé; tot referta
Eſt ænigmatibus. *Evg.* Vah! Ego Oedipus ero, nè dubitetis.
Sinite modò, Aurelium ut huc foras evocem, atque
Caſſionem meum. *Tric.* S't Eugeni, Eugeni: in malam rem;
Abiit: Quid te nunc fiet, Tricongio?
Atque eccum! redit in auxilium, utì ſpero, meum.

Eug. Aureli, viden'?

Aur. Ha, ha, he! Cassio, viden' tu etiam? ha--!
Cass. Ὦ Ζεῦ, video enimvero vitulos meos. *Tric.* Eugeni, Eugeni, Eugeni S't.
Eug. Audiamus jam, si placet, ænigmaticam hanc controversiam.
Theo. Uterque utrumque furti alligat; Philautus Tricongionem,
Tricongio Philautum; suas sibi suffuratum esse vestes queritur.
Eug. Aur. Cass. Ha, ha, he!
Tric. Eugeni, tu me satis nôsti, atque mores meos; egóne fur?
Eug. Minimé, minimé; sed pergræcator lepidus.
Aur. Et cantharorum exiccator strenuus.
Tric. Aureli, non fur tamen. *The.* Quin dirimis litem, Eugeni,
Utì pollicitus es? *Eug.* Verbo sic; Herì apud signum Diaboli
Ego & Aurelius in Philautum hunc probè appotum
Fortè fortunâ incidimus. *Aur.* Noli erubescere, Philaute:
Humanum est, errare. *Tric.* Ah! verum est istud verbum, Aureli.
Eug. Et haud diu est, quando somno altissimo consopitum ibi reliquimus: (sodes.
Ha, ha, he! præ risu ægrè effari possum: Aureli, tu perge
1. Sen. Quò hoc evadet? *Aur.* Domum redeuntes, Tricongionem
Præ foribus suis haud minùs altè dormientem reperimus.
Eug. Ah! Tricongio, verum istud verbum, *Humanum est, errare.*
Tric. Profectò, Eugeni, ludis me jam. *The.* Porrò Aureli.
Aur. Ibi Eugenius Cassionem suum Tricongionem sublimem abripere jubet.

Theo. Quò, Aureli? *Aur.* Eò ſcilicet ubi ſtertebat Philautus.

Eug. Quid verbis opus? veſtes mutamus atq; loca.

Phil. Quid ego audio? *Tric.* Ah! Eugeni, loquere ſerió.

Eug. Tricongionem in œnopolio crapulam ut edormiſceret relinquimus,

Philautum ad Tricongionis ædes ſiſtimus, ubi Cotyttia,

Maritum autumans ſuum, caput atque ſcapulas demulcebat lepidé.

Rident omnes.

Theo. Ludos pol feſtivos! quid ais, Philaute?

Ad iſtoccine exemplum te excepit Cotyttia? (quam

Phil. Cotyttia quæ ſit neſcio, ſed ſceleſtiſſima n ali-

Rident omnes.

Megæram, quæ me maritum nominabat ſuum,

Me ad laſſitudinem uſque verberâſſe plùs ſatis ſcio, atque etiam nunc ſentio.

Theo. Quid tu Tricongio? *Tric.* Ha, ha, he.

Eug. Quid rides, Tricongio?

Tric. Scilicet hunc juxta mecum ſentire, mea quid valeat Cotyttia.

Hujuſmodi permutationem optarem ſæpius, Eugeni.

Eug. Nunquid, pater, non præſtiti jam quod pollicitus? *Theo.* Affatim.

Sedata eſt hæc controverſia,

Grataque erit convivis inter cœnandum hiſtoria.

Philaute, tu ad me ibis, ubi patrem, & fratrem tuum Endomuchum invenies,

Unà cum ſponſa Felicia, aliiſque. *Phil.* Excuſatum me habeas, (ſic me

Theophile. *Tric.* Ah! mi lepide bajulator, utinam

Bajulares ſæpius! *Eug.* Quid renuis, Philaute?

Phil. Egón' coram patre ſic veſtitus?

Eug. Piſh! meum ad cubiculum te ducam, & Tricongionem etiam:

Altera veſtium permutatio fiat commodé.

Pater, nónne Tricongionem etiam vocas?

Theo. Oh! quoquo modo. *Tric.* Utinam etiam meam vocares Cotyttiam!

Et

Et litem inter nos componeres! *Theo.* Libentissimé; sed eâ lege,
Ut tu nos etiam cum spectatoribus in gratiam redigas,
Quorum nos patientiam haud minùs, vereor, læsimus,
Quàm tua Cotyttia tuam. *Tric.* Aliter si fieri nequeat,
Experiar. *Theo.* Eugeni, accersat Cassio tuus Cotyttiam
Quamprimum potest. *Eug.* Propera, Cassio.
Theo. Tandem introeamus ergó; sed eccos fidicines, Eugeni! *Intrat Tittus cum fidicinibus.*
Tu etiam eos ad nos; Nolo quicquam, quod oblectet, desit convivis meis.
Fili mi. *Aur.* Pater charissime, sequor; tu mecum etiam, Philaute.
Tit. Ubi (malúm) esse dicam herum meum? & neptem ejus Menandram adeó,
Unà cum sponso suo Gorgonio? omnésne ambulant invisibiles?
Eug. Titte, respice: Quos tu quæris, apud nos sunt.
Tit. Apud vos veró? In malam crucem; quid illi apud vos?
Me accersitum mittunt fidicines, atque sese foras proripiunt postea.
Quæ hæc est contumelia? *Eug.* Oh! insignis.
Sed quorsum tu ad vos fidicines? nuptiæ apud nos celebrantur.
Tit. Menandrámne inter & Gorgonium?
Eug. Non, non; apage Gorgonium, tu verò mecum intró,
Duc etiam tecum fidicines hos tuos.
Tit. Nunquid verò saltabimus, cantabimus? *Eug.* Imò & ridebimus. *Exit Eugenius.*
Tit. Tricongio, quid tu hîc stas? vin' saltare iterum?
I mecum ad Theophilum; quid cogitas? quid meditare?
Tric. Ah! Titte, meditor Epilogum. *Tit.* Ubi verò tua Cotyttia?
Tric. Ah! Titte, plus dimidio, quod in animo erat, isthoc verbo Excus-

Excuſsiſti mihi; mitte me, quæſo. *Tit.* Bene vortat quod agis.

Tric. Oh! crepuêre fores; aliud ex alio malum; pendeam nunc,
Niſi in ipſo articulo prodit Cotyttia; periit Epilogus.
Oh! ſalvus ſum; Caſsio eſt. Caſsio, quid novi?

Caſſ. Quid? Cotyttia tua nondum toto inſtruitur mundo ſuo.
Sed mox aderit. *Tric.* Mox? Quæſo te, Caſsio, I tu præ, ego te ſequar è veſtigio.

Caſſ. Propera veró. *Tric.* Nè dubites. Móxne aderit Cotyttia?
Quicdquid evenerit, Epilogum conficiam illico.

Epilogus.

QUin fugitis hinc Spectatores, & vos, quantum poteſt, hinc abripitis?
Væ vobis, ſi hîc commoremini, dùm apparata hàc tranſeat mea Cotyttia:
At mihi væ multipliciter, priùs ſi fortè me deprehenderit,
Quàm illam mihi Theophilus tranquillaverit.
Proin optimum eſt, ut vos ſemel bene valere jubeam;
Et ut ſciamus quid placuerimus, indicium aliquod rogitem.
Quoties & quàm validè uxor mea me verberaverit hodie,
Vidiſtis vos, ſenſi ego--- Jam veſtræ quid valeant manus
Nimis velim experiri: ab illis enim vapulare, munus erit---
Atque auditin'? qui hoc detrectant, neq; quod egimus, boni conſulunt,
Haud gravius illis optem infortunium, quàm *Uxores Cotyttias.*

FINIS.